AD ACTA

COLLOQVII

MONTISBELGARDENSIS

TVBINGÆ EDITA,

THEODORI BEZÆ

Responsio.



GENEVÆ,

Excudebat Joannes le Preux.

M. D. LXXXVII.

IN RESPONSIONEM ad Acta Colloquij Montisbelgardensis Tubingæ edita, Theodori Bezæ præfatio.

EDITA quidem sunt Acta meæ illius cum Iacobo Andrea collocutionis, ex Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Friderici Comitis Vvirtembergici & Mompelgardensis auctoritate, sed D. Iacobi Andreæ consilio, hortatu & suasu: quum non aliunde quàm ab illo profecta sint, quæ illis inserta voluit. Cum illo igitur mihi negotium est, non cum Illustriss. Principe: de cuius humanitate singulari & propenso in procurãda Ecclesiarum pace studio, dubitare me ipsa experientia non sinit. Cæterùm, quas ille huius editionis Illustriss. Principi persuadendæ causas habuerit, ipse viderit: quas autem ipse habere mihi videor iustissimas ea de re expostulandi rationes, dissimulare me, neque veritas, neque existimatio mea patitur. Primùm igitur omnium quod ad huius Colloquij occasiones attinet, sciat D. Andreas ipsum Dominum Baronem Cleruantium Regis Nauarreni apud Germanos principes legatum testari, vanissimũ esse quod de ipso, quasi huius Colloquij apud ipsum promotore, D. Andreas commemorat. Nec enim ea de re vllum habuisse mãdatum, nec quid iam antea Mompelgardi agi cœptum esset, ex quoquam cognouisse. Immò quum fortè de pace Ecclesiarum procuranda, ab omnibus bonis tantopere expetita, sermo esset inter ipsos Tubingæ iniectus, & Andreas de hac ipsa Collocutione nonnihil diceret: testatur idem Dominus Baro Cleruantius se longè aliud vrsisse, nempe vt potiùs v-

trinque delectorum aliquot doctorum & piorum hominum Synodus, adhibita Principũ auctoritate, cogeretur. Etenim, inquiebat, ista inter duas priuatas personas Collocutio, vel nihil vel certè parùm ponderis ad componendas tantas controuersias habebit. Ad hæc verò Andreas, suo more iocatus, totidem istis verbis, (adhibito inter ipsos interprete, ipsius Domini Cleruantij fratre) Dicor ego, inquit, Germaniæ Papa, Beza verò Galliæ: si inter hos duos Papas conuenerit, Episcopi reliqui facilè assentientur. Res autem omnis ita se habet. Quadriennium & ampliùs præteriit ex quo agi de hac re cœpit, ipso Andrea, vt tum quidem ad me ab honestissimis viris Mompelgardo scribebatur, instigante, me verò, non quidem à studio pacis, quam ego vel mea ipsius vita redemptam velim, abhorrente: sed hoc ipsum quod nunc euenit, iam tum prospiciente. Ecce verò hyeme superiore, mihi & corpore ægrotanti, & animo nihil minus cogitanti, à nobilibus quibusdam Gallis propter religionem exulibus, qui tumerant Mompelgardi, nuntiatur gratum me facturum Illustrissimo Principi, & ipsis quoque exulibus, si in hoc Colloquium possem consentire. Recusaui, additis causis quibus illorum plerique facilè sunt assensi. Mox tamen eadem iteratur petitio. Ego, nequid fortè hic peccarem, percontor ea de re vicinas, huic coniunctissimas Ecclesias, Tigurinam & Bernensem. Peto à symmistis meis consilium. Respondent omnes, nihil quidem boni ab hoc Colloquio, quòd ad ipsum D. Andream attinet, expectandum videri, sed quum hoc tantopere desiderare Illustrissimus Princeps diceretur, obtemperandum ipsius voluntati, quòd fortassis ea res aditum ad moderationem aliquam istarum rixarum obtinendam esset patefactura. Sic igitur, cõsentientibus nostris Magistratibus Amplissimis Bernensi & Geneuensi, ad quos etiam

etiã, vt ad me quoque, iam antea de ea re Illustrissimus Princeps scripserat, Mompelgardum, Abrahamus Musculus Bernensis, & ego cum nobis additis comitibus, asperrimo tempore, 20. Martij peruenimus: inuitissimus quidem ego, vel eam ob causam, quòd sub idem tempus D. Andreas, edito virulentissimo & planè sanguinario scripto, satis ostẽdisset quo animo in nostras omnes Ecclesias esset affectus: vt videri meritò posset nõ aliud hoc Colloquio captare, quàm vt, hac occasione redintegrato certamine, Germanos Principes ab auxilio piis, in Gallia extrema quęque patientibus, quos isti teterrimos hæreticos ex pulpitis appellare cõsueuerunt, summittendo deterreret. Cæterùm, benignissimè ab Illustrissimo Principe excepti, agere de processu Colloquij cæpimus. Cuius rei narrationem quis contexuerit ita vt in his Actis pag. 10. & 13. refertur, nescio. Nec enim vllus vtrinque delectus fuit aut adhibitus notarius. Sed hoc scio, mihi nunquam excidisse, vt dicerem collocutionem hanc fuisse ad Gallorum exulum petitionem institutam. Crediderat enim hoc totum non aliunde quàm ab ipsius Principis sancto desiderio profectum, cuius etiam existimationi multum videntur detrahere, qui ad alios istud tam Christianum factum transferunt. Gallos autem meos satis sciebam istis collocutionibus minimè indigere: nec aliam ob causam instituisse vt illuc proficiscerer, quàm partim vt Illustris. Principi gratũ facerem, partim ne veluti bonitati causæ diffidens disputationem viderer subterfugisse. Sed maioris est momenti quod in illa narratione præteritur. Petiuimus enim initiò, vt vtrinque omnia scriptis, propria collocutorum manu subsignatis, agerentur. Quod quũ D. Andreæ non placuisset, qui verbis agi malebat, postulaui vt vtrinque dicta, à probatis & vtriusque partis consensu delectis notariis exciperentur: quæ deinde cuique parti reco-

gnoscere, & addita subscriptione confirmare liceret. Hæc enim erat profectò iusta & syncera colloquendi ratio, vt sic falsationi occurreretur, quam ex duplicis protocolli Mulbrunnensis disceptationis editione cognoueram. Quum autem ne hoc quidem admitteret Andreas, disertis quoque verbis testatus, sese ne latum quidem pilum ab ea quam adhuc professus esset doctrina discessurum: tum ego ad Musculum & alios meos collegas conuersus, Quorsum igitur, inquam, huc aduenimus? Et certè iam tum iustissimã habuimus recusandi omnis colloquij causam. Sed rursum veriti ne discedendi occasiones captasse, & Illustriss. Principem illusisse videremur, admisimus conditionem qualis in istis Actis continetur. Et de his quidem hactenus.

Venio ad huius editionis causas, in præfatione Illustrissimi Principis (siue à D. Andrea, siue ab alio quopiã dictata) comprehensas: quæ omnino duæ sunt: Scholæ videlicet Tubingensis alumnorum vtilitas, & refellendarum calumniarum necessitas: vtraque iustissima, si tam vera esset quàm fuit Illustriss. Principi persuasum. Cuius Celsitudinem humillimè precor, vt me bona cũ sua pace audiat respondentem. Quod igitur ad priorem illam causam attinet, quum satis superque sit omnibus Ecclesiis notũ, quæ sit & D. Andreæ & mea de istis controuersiis sententia, & in hac disceptatione nihil prorsus contineatur, quod non sit plenissimè tot editis aliis scriptis millies vtrinque dictum: quid tandem aliud ex horum Actorum editione consequi potuit, quàm quod factum videmus? nempe vt noua redintegrandi certaminis istius occasio ambitiosis & contentiosis scriptitatoribus præberetur. Sed age licuerit Theses vtrinq; exhibitas, & inter hominum manus volitantes ad cauendam falsitatem promulgare. Quo iure tamen potuit D. Andreas illas ex animi sui sensu, additis ad marginem

scholiis

ſcholiis interpretari, &, ſi in ipſa diſputatione ſatis Bezam, ſola pertinacia & meris gloſſis, (vt ipſe loquitur,) impia ſua dogmata tutantem refutauit, quo conſilio alias iſtas marginales, quas vocat, refutationes adiecit, niſi vt impoſita mihi reſpõdendi neceſſitate, certamen recrudeſceret? Quod quum ab Illuſtriſs. Principis mẽte alieniſſimum eſſe non immeritò mihi perſuaſerim, abſit vt hoc conſilium ab ipſo profectum fuiſſe exiſtimem. Sed quum impetrare non potuerim vt adhibitis vtrinq; delectis bonæ fidei notariis, ageretur: patietur, vt ſpero, me, Illuſtriſs. Princeps, ab iis qui hanc editionem ipſi ſuggeſſerunt, petere, quo iure, qua auctoritate, qua conſcientia, me ſuperſtite & inconſulto, quæ à neſcio quibus raptim, vt res ipſa oſtendit, excepta ſunt, quaſi authentica & fide digna in publicum proferre? Nam ne in reos quidem capitalis criminis conuictos, ſic agi conſueuit. Et tamen Illuſtriſs. Principem publicè reſtari voluerunt, nihil omnino in horum Actorum collectione vel inſertum, vel ademptum eſſe, in quo cardo controuerſiarum verteretur. Neque quum hæc ego dico, cuiuſquam ex iſtis exceptoribus conſcientiam pungo, ſed hoc dico, nimiùm iuſtas cauſas habere me cur neque Oſiandri, neque Mompelgardenſis ſuperintendentis manui fidem habeam: quos tamen arbitror inter omnes adſtantes maximè quæ dicebantur intelligere & annotare potuiſſe. Denique, nemo neſcit quantùm ſit ſæpe in vnius etiam voculæ prætermiſſione vel immutatione poſitum. D. Andreæ verò quînam ſua diſpicere, expendere, expolire, (ſicut ab illo factũ fuiſſe res ipſa euincit,) mea verò pro arbitrio mutilata, interpolata, diminuta proferre in manus hominum licuerit? Et vt licuiſſe demus, quorſum illa mea ne ſic quidem intacta relinquere, ſed obſeruationes & refutationes adiicere fas fuit? Et certè quum inter nos, vt apparet ex huius ipſius editio-

Ipſis licuerit.

nis cui nunc respondeo, pagina 564, expressè conuenerit, ne excerpta ista vllam vim & authenticam auctoritatem Protocolli habeant, optimo iure possum ista omnia nullo dignari responso. Sed quum D. Andream & illius assecłas videam illud per nos in discessu nostro postulatum perinde accipere, ac si nostræ defensioni diffisi, editionem illius metuissemus, (quod tamẽ quàm falsò & absurdè dicatur, vel ex eo constat, quòd petiimus quidẽ, sed obtinere non potuimus, vt à notariis singula exciperẽtur, quæ collocutorũ subscriptione postea confirmarẽtur,) age, ne hunc quidẽ laborem, aliquatenus, quanquam inuitissimus eò pertractus, refugiam.

Accedo ad calumnias quæ dicuntur huius editionis necessitatem Illustris. Principi præbuisse, quarum aliæ in ipsius Principis Celsitudinem, aliæ in ipsam causam sint contortæ. De prioribus, siquę sunt vllo modo à me, aut alio quoquam, me conscio, profectæ, causam non dico quin calumniator habear, & eius criminis pœnas luam. Epistolam quidem illam, Deum Opt. Max. testor, neque hîc, neque vsquam alibi, vel directè, vel obliquè, me conscio scriptam vel editam fuisse: nec à me priùs visam quàm duo, nec plura, eius exemplaria, librarius quidam noster ex Francfurtensibus nundinis attulisset. Testor etiam me, sicuti decuit, &, vt discedens promiseram, Illustris. Principis singularem in nobis in arce sua excipiendis & tractandis humanitatem, & indefessam in vtraque audienda parte assiduitatem cum maxima æquitate coniunctam, vbique tum verbis, tum literis prædicasse. Epistola igitur illa nihil ad me prorsus attinet. Quod enim in Illustris. Principis præfatione adiicitur, prohibere me debuisse ne publicè inter nostros spargeretur, quasi ad hanc epistolã conniuendo, meum cum eius epistolæ auctore, quisquis est, (nam ne nunc quidem quis ille sit certò noui) consensum prodiderim:

quis-

quisquis istud Illustris. Principi suggessit, magna imprudẽtia & in ipsum Principem & in me peccauit. Quînam enim ego Gencuæ positus, quæ in intima Germania, me prorsus insscio & nihil minus cogitante geruntur prohibere, & iam in celeberrimis illis nundinis passim dispersam Epistolam, ex cuiusquam manibus extorquere potuissem? An autem venales hic tres istæ pagellæ propositæ fuerint, ita me bene Deus amet, vt ego prorsus ignoro, nec illas vnquam in cuiusquam manibus conspexi. Quòd siquis existimat oportuisse me saltem scriptum aliquod opponere, quò Epistolam illam iugularem, velim illum scire, non esse mihi tantum ab re mea otij, vt istis scriptitationibus legendis, nedum refellendis, quicquam temporis impẽdam. Quod si etiam aliter esset, quis sum ego, vt existimare potuerim Illustris. Principis Celsitudinem vlla mea defensione apud quenquam indigere, quem sua satis dignitas & amplitudo tuetur? Denique quod attinet ad illa quę variis & rumoribus & scriptis dicuntur à nostra parte sparsa cum alterius partis, atque adeò veritatis ipsius offensione: minimè vereor, vt possim ego huius criminationis reus inueniri. Obsisti verò potuisse quin de hoc publicè habito Colloquio varij varia scriptitarent, prout in hanc vel illam partem forent affecti, nescio an quisquam cogitauerit. Mihi quidem certè nunquam visum est fieri istud posse, quod nulli Imperatores, nec Reges, vllis quãtumuis seueris edictis potuerunt obtinere. Et inter huius à me diu recusatæ collocutionis causas, hæc fuit non postrema, quòd ista mox inde necessariò consecutura prospicerem. Istis verò incommodis occurri hac vna, quam dixi commoda ratione potuit, nempe, si à delectis notariis cuncta exciperentur, quæ postea, si necessitas postularet, bona fide publicarẽtur. Id verò quum impetrare potuissemus, putauimus huic malo satis cautum, si in non

quod etiam consensum est, vtraque pars in eo consentiret, vt nullam vim & auctoritatẽ protocolli haberent quæcunque à priuatis essent excerpta. Hæc autem, spes & cautio, quum me, nulla mea culpa fefellerit, & D. Andreæ placuerit ista editione scriptitationes huiusmodi, quasi infuso oleo accendere, quid hîc fecerim? Quum ad me verò plurima variis ex locis huiusmodi significarentur, amicos in primis rogaui vt ista omnia paterentur per se spatio temporis euanescere, & modestè quomodo discessum esset significaui: testatus non posse me existimare tam absurda & calumniosa nonnulla ex ipsius D. Andreæ voluntate spargi. Quid amplius? Quum certiora quædam & iniquiora de his rebus procul scripta accepissem, D. ipsum Andream putaui per literas commonefaciendum, vt suos Tubingenses pro auctoritate sua, compesceret. Denique quum ambigere meritò non possem quin literas quas ad illum hac de re dederam accepisset, ad quas nihil respõderet: hoc egi quod necessitas ipsa coëgit, id est mẽdacia quædam manifestissima scriptis ad amicos literis sum inficiatus: & calumnias intolerabiles refellere studui: ne id quidẽ, ita me bene Deus amet, facturus, si quid commodi responsi à D. Andrea accepissem. Neque verò me illorum pudet, quæ, si sit opus, edere quoque sum paratus. Et ne quid hîc comminisci videar, ecce studiosi cuiusdam Tubingensis, hac de re scriptæ literæ 24. Maij, vt omnes intelligãt iustáne potiùs ego offensionis causas habuerim quàm quisquam alius, quas tamen omnes Ecclesiarum paci posthabui.

Instituta fuit dissertatio & colloquium de quinque capitibus controuersis: de Idolis: de Prædestinatione: de Persona Christi:

ſti: de Baptiſmo Infantium: & de Sacramento. De primo facilè conuenit. De ſecundo Beza per ſeſquihoram perorauit, & ſua illa placita, de conſilio Dei in hominibus quibuſdam vitæ æternæ, abſque vel fidei vel incredulitatis reſpectu adiudicandis, protulit. Quæ patienter audita ſunt: & prolixè à D. Iacobo refutata. De cæteris parum fuit actum, ſed quæ in libris Antagoniſtarum fuerunt ſcripta confirmare ſtuduit Beza. Plura non habeo. Iſtud addo, Bezam lachrymabundum ex colloquio diſceſſiſſe. Quare hoc effectum eſt vt Princeps Mompelgardenſis, qui ad partes Caluinianas iam inclinauerat, *cognita & audita Bezæ blaſphemia, illud dogma exhorreſcere, & deteſtari atque execrari inciperet. Interfuerunt Colloquio ſex Paſtores Gallici: qui quum audirent quædam δύσφημα à D. Iacobo proferri, quæ Danæus hiſce aliquot annis ſcripſerat, quæ Beza confirmaret, ſibi illa ignota eſſe dixerunt & ſtudiosè diſſimularunt. Vnde ſatis conſtat Antagoniſtas noſtros ea dogmata profiteri, quæ lucem veritatis non ferre poſſunt, ſed quorum ipſoſmet pudet, & quæ tanquam venena mortifera exteris propinant, à quorum contactu niſi abſtineant, ſibi malè cauent. Sed quò delabor &c. Hoc tantùm ſcribo, à noſtris Doctoribus vulgò hoc iactari, Lutherum ſanctæ memoriæ dixiſſe, Diabolum à Sacramento Cœnæ, tanquam materia ἐνδόξῳ initium cepiſſe: vt per huius latus reliqua doctrinæ capita, in quibus plurimum momenti ſitum eſt, confoderet. Sed verſantur iſta in foro Theologico, in conſpectu totius Eccleſiæ, cuius neſcio quomodo iudicium non reformident, qui tam impiè de beata Chriſti carne ſalutis noſtræ organo, & ſacris myſteriis loquuntur, &c.*

Hæc ille quiſquis eſt, ex quibus nemo non intelligit quàm vanis rumoribus nonnulli curioſorũ & maleuolorũ aures compleuerint, neq; falſam vel commentitiã fuiſſe occaſionẽ quam is quiſquis eſt arripuit à quo fuit altera illa epiſt. Francfurtenſibus nundinis edita. *De Ido-*

lis, inquit; *facilè conuenit*. Scilicet. Edita est ab his ipsis nostra super hac re responsio, ad quam prouoco. *Protulit Beza sua illa placita de consilio Dei in hominibus, quibusdam vitæ æternæ, quibusdam morti æternæ, absque vel fidei vel pietatis respectu adiudicandis*. Os impurum. Quis vnquam ex me audiuit vel ista vel istis aliquid simile? Hoc quidem ego non ex vno sed ex innumerabilib⁹ penè Scripturę locis, & Augustini præsertim aduersus Pelagianos notissimis disputationibus asserui, fidei præuisionem ordine causarum non præire æterno Dei de eligendis & seruandis suis decreto, sed illi substerni: id est neminem vitæ æternæ destinari quòd Deus illum crediturum præuiderit, sed contrà idcirco eligi & credere quicunque eliguntur & credunt, quoniam hoc illis Deus ex ęterno & gratuito suo proposito, suo tempore vocatis, largiatur. In opposito autem membro dixi, incredulitatem & eius fructus, ex proposito quidem Dei non nasci (quoniam salus quidem ex Deo est, perditio autem reproborum est ab ipsis improbis,) sed illam decreto Dei æterno de relinquẽdis in sua natiua maledictione reprobis non præire, verùm subordinari: quoniam Deus neminem damnat, cuius causam in eo qui dãnatur non inueniat. Illud qui non confitetur manifestè Pelagianus est, & à tota scriptura & Orthodoxa Ecclesia refellitur: illo verò confesso, istud quoq; ex contrariorum doctrina necessariò consequitur. Hoccine verò est docere, vel salutis in Christo ab æterno destinatos nullo, fidei suo tempore, illis donandæ, respectu seruari: vel è contrario, nullos extrà Christum, ab æterno, æternæ morti ab eo deputatos, (qui nemini iniuriam faceret etiam si omnes & singulos perderet,) nullo peccati natiui & eius in adultis fructuum respectu damnari? Sed quid istis hominibus facias, qui neque salutis & damnationis causarum oppositarum seriem & nexum, neque distinctionem inter

Dei

Dei decretum, omnes ſecundas cauſas ordine antegrediens,& eius decreti executionem, non modò non norunt, ſed ne noſſe quidem volunt? Qui denique in hac quidem de Cœna Domini controuerſia Lutherum habent pro ſummo & irrefragabili Theologo: in doctrina verò de Prædeſtinatione (quæ ſanè eſt doctrinæ iuſtificationis ex fide, atq; adeò totius Chriſtianiſmi fundamentũ) per noſtrũ latus, apertè, vt impiũ & blaſphemũ, à ſe cõfodi nõ ſentiunt? *Beza lachrymabundus ex colloquio diſceſſit.* Magnũ debellati Bezę argumentũ. Diſceſſi certè non ſemel tot miſerorum populorum commiſeratione ductus, ipſiuſque adeò Illuſtriſs. Principis & aliorum nimiùm multorum vicem ex animo deplorans. Quod autem iſte dicit. Illuſtriſs. Principem, cui fauſta & felicia omnia ex animo precor, ad partes Caluinianas, (vt iſte factioſus loquitur,) antea inclinauiſſe, an ipſius Celſitudini gratum ſit futurum, neſcio. Sed hinc coniicio non prorſus vanum fuiſſe quod Tubingæ non obſcurè ante hunc congreſſum iactabatur: Andreæ videlicet omnino procurandam & maturandam eſſe hanc profectionem & collocutionem, vt Principem inter Gallos exules verſantem, & qui diſſimulato ſuo nomine, Geneuam vſque, anno altero progreſſus, publicæ concioni interfuiſſet, à Caluiniſmo auerteret. Quod autem idem de ſex paſtoribus Gallicis narrat, qui Danæi δύσφημα quædam, vt ſibi ignota diſſimulauerint, in eâdem mẽtiendi officina fuit excogitatũ. Danæum enim nos omnes, vt de Eccleſia Dei optimè meritum, pro verè docto & pio fratre & collega agnouimus: & in iis quæ D. Andreas in ipſo vt blaſphema damnabat, dicere auſim Danæum iniuſtè prorſus reprehenſum, meo patrocinio non magis quàm ipſam veritatem, indiguiſſe. Illam denique D. Lutheri prophetiam, vtinam nimis veram eſſe non probarent, ij quos à Conſubſtãtiationis dogmate ad carnis

Christi vbiquitatem, quouis etiam Eutychianismo portentosiorem delapsos videmus, & in illo infernali luto tam pertinaciter hærere, vt ne à doctioribus & sanioribus quidem eiusdem Consubstantiationis propugnatoribus, inde sese extrahi, neque argumentis, neque conuiciis patiantur.

Ecce & aliam epistolam Argentina scriptam 13. Maij, impudentissimorum mendaciorum plenam.

Venerunt ad nos animi gratia D. Theodo. Schnepfius & D. Ioh. Brentius. Hi exposuerunt nobis quid Mompelgardiæ inter D. Iacob. Andreæ & Bezam actum sit, planè ferè iisdem verbis quibus & superintẽdens Montbelgardicus priùs istud Colloquiũ D. Pappo exposuit: videlicet Comitẽ Virtẽbergensem, cuius sumptibus istud Colloquium institutũ fuit, nunc magis confirmatũ in vera sentẽtia sanæ doctrinæ, quẽ antea Caluinistæ fuerãt conati à veritatis via auertere, & Legatũ etiã Bernẽsem *publicè affirmasse se nunquam credidisse quod ipsorũ Theologi tam vanam defendant doctrinã, quæ saltem glossis nitatur dictorum ex patribus desumptorum, quum nostri ipsius scripturæ fundamento insistant. Cúmque Beza intercessisset pro Caluinistis apud Comitem Virtembergensem, vt ipsis exercitium Religionis Montbelgardiæ concederetur, Comitem id planè detrectasse & respondisse, sibi non integrum fore vt diuersæ religionis doctrinæ sub ipsius tutela spargantur. Denique hoc etiam contigisse, quòd in festo Paschatis vltra 40. viri, qui antè Cinglianis adhæserant cum cæteris sinceræ Religionis assertoribus vnà sacram celebrarint synaxin. Fertur quidem disputationem seu Colloquium illud Basileæ nunc typis excudi opera D. Iohan. Iacobi Grynæi. Quòd si pro more suo aliquid minùs dextrè recensuerint, proculdubio nostrates excitabuntur vt veram etiam descriptionem illius publicè edant. Data Argentinæ 13. Maij 86.*

Quænam autem est ista quiduis comminiscendi licentia? An Illustris. Principem conati sint exules Galli à via veritatis auertere, testetur sanè ipsius Celsitudo. Domi-

Domino verò Samueli Meyero Bernenſi Senatori, & ornatiſſimo viro, excidiſſe quod iſti narrant, non magis verum eſt quàm bonos viros eſſe qui hoc confingere ſunt auſi. Sed hoc commento tantò intolerabilior eſt hæc quæ ſequitur calumnia, quantò plures attingit: *Gallos videlicet ad* 40. *antea Cinglianis* vt iſti vocant, id eſt Gallicæ confeſſioni *adhærentes*, *poſt illud ſolutũ colloquium, cum cæteris ſinceræ Religionis aſſertoribus ſacram Synaxin celebraſſe*, argumentis nimirum Andreæ in veritatis viam reuocatos. Nam è contrario audite, quid vobis verè merito reſpondeam, Tu Schnepfi, & tu Brenti, grauiter in illos & genere & pietate nobiliſſimos, peccaſtis, quibus omnibus cũ honeſtiſſimis matronis, imò cũ tota ciuitate Monpelgardenſi facile fuerit falſitatis manifeſtiſſimę, & Theologis præſertim indigniſſimæ vos coarguere. Sed & vir ille tantò inter doctos omnes huius ætatis Theologos laudatior, quantò in illum eſtis contumelioſiores, nempe D. Ioannes Iacobus Grynæus, vaniſſimi commenti vos nullo negotio conuicerit, quod hic illi à vobis impingitur. Quod autem ille quidem facere nunquam cogitauit, illi ipſi veſtri Doctores re ipſa auſi ſunt deſignare, id eſt ſub Illuſtriſſimi Principis nomine deliteſcendo, huius collocutionis acta quæ à notariis excipi noluiſtis, à ſuis excerpta, quaſi authentica contra ſuam ipſorum ſubſcriptionem edere. Itaq; cauſam dicere iuſtam non poſſunt, quominus D. Grynæi falſa inſimulatio vos & illos meritò coarguat.

Illis duabus addo & tertiam ab Oſiandro Vitebergam vſque his totidem verbis ac penè dixerim mendaciis ſcriptam.

Dn. D. Polycarpo Leiſero, Paſtori Eccleſiæ Vvittebergenſis.

D. D. Iacobus Andreæ & ego nuper vocati ſumus Montpelgartum, ibi D. D. Iacobus & Beza comparuerunt: & præſente Illu-

striis Principe, comite Friderico, & Gallis exulibus circiter 30. disputatum est aliquot dies: sed pax nulla facta. Beza enim in his erroribus perstitit: Quòd corpus Christi ante nouissimum diem tantùm sit in Cœlo & nusquam, (quacunque etiam ratione) in terris. Ideóq; corpus Christi, nec à dignis, nec ab indignis ore accipi posse, neque vllum modum manducationis nisi aut Spiritualem, aut Capernaiticum concedit. Communicationem Idiomatum in persona Christi nullam nisi verbalem concedit. & omnia quæ de communicatione proprietatum diuinæ naturæ in sacra scriptura dicuntur, tantùm de bonis creatis intelligit. Baptismum à Paulo vocari lauacrum regenerationis impropriè contendit, neque ab eo errore recessit. Baptismum enim obsignationem tantùm esse regenerationis asserebat, & quidem innumerabiles pueros in Baptismo non regenerari. Et inter cætera dicebat Beza, electos etiam in sceleribus contra conscientiam admissis, neque Spiritum Sanctum, neque fidem amittere. Et quamuis à D. D. Iacobo, Dauidis lapsus allegaretur, qui in summa securitate (ante correptionem Nathanis Prophetæ) vixerat: tamen asserere Beza non dubitauit, Dauidem in eo lapsu, nec Spiritum S. nec fidem amisisse. Quum illi afferretur distinctio inter peccata mortalia & venialia, Sardonio risu eam excepit. In disputatione de Prædestinatione vltra sesquihoram locutus Beza, vnius tantùm scripturæ testimonij mentionem fecit, idque incidenter. Dixit autem, Deum in æterno suo consilio ante conditum mundum aliam rationem ad declarandam suam misericordiam (quæ præsupponeret miseriam) & ostendendam iustitiam non inuenisse, nisi esset qui labi posset, & hac ratione notam faceret suam misericordiam erga electos, & iustitiam erga reprobos. Neque has propositiones suas, quas in scripto illi obiecimus retractauit aut explicare conatus est, quibus asseruit reprobos ad æternam damnationem destinatos, conditos & ordinatos esse. Neque ille cessit sacræ Scripturæ testimoniis, quæ illi opposita fuêre, sed in impia sua sententia perstitit. Fuerunt cum eo Abrahamus Musculus pastor Ecclesiæ Bernensis, & quidam Doctor, Medicus Lausannensis, & alius professor Græcæ linguæ

guæ, hi auſcultarunt. Partes enim dicendi, D. D. Iacobo & Bezæ commendatæ fuerunt. Itaque diſceſſum eſt ab hoc colloquio, infecta pace. Tametſi enim fraternitatem noſtram ſcriptis, & viua voce peterent: nos tamen aſſentiri nec voluimus, nec potuimus niſi errores ſuos abiicerent.

Et quauis Illuſtriſs. Princeps, Comes Fridericus, ſemper à Caluinianorum dogmatibus abhorruit: tamen coram ſuis expreſsè confeſsus eſt, ſe nunquam credidiſſe tantam impietatē ſub dogmate Caluiniano latère: & ſe per omnem vitam ſuam ſtudiosè operam daturum, ne in hos labyrinthos incidat.

Speramus etiam aliquem eius colloquij fructum ad Gallos auditores redundaturum: attentiſsimè enim auſcultarunt, & haud dubiè animaduerterunt Bezæ tergiuerſationem, qui poſtquam de Cœna Domini, & de perſona Chriſti diſputatum erat, eiq; locus de prædeſtinatione proponeretur: ſupplici libello (cum ſuis adiunctis) petiyt vt ſibi domum redire liceret, prætendens feriας Paſchatis, quas tamen aliàs parùm ſollicitè obſeruant. Hæc paucis R. T. referre volui, & ſpero, hanc commemorationem R. tuæ D. non fore ingratam. Bene & feliciter, Vale.

Hic verò cogor tecum Oſiander expoſtulare, & lectoribus oſtendere, quum tu, inter cęteros, & tibi proximus Superintendēs Mompelgard. Germanus, attentiſſimè ſermones meos exceperitis, quantā habeam, de veſtra in illis exſcribēdis fide, ambigendi occaſionē. Eſt enim hæc tua Epiſtola, velut omniū eorū epitome, quæ inter vos collecta, partim in hæc acta, partim in veſtras ad marginē deſcriptas obſeruationes poſtea cōtuliſtis. Nā verum quidem eſt, dixiſſe Bezam & dicere, Chriſti carnem nuſquā realiter alibi nunc eſſe quàm ſupra cœlos in quos aſcendit, & vnde vltimo demum die reditura ſit (quod quiſquis negat, Chriſtum, vel directè vel neceſſaria conſecutione negat.) ſed quod addis dixiſſe Bezam, *nuſquam quacunque etiam ratione illam nunc eſſe in terris*, calumniosè ſcribis. Nec enim ignorare potes adiice-

re noſtros conſueuiſſe, illam, etſi ſua eſſentia (quod aſtutè præteriiſti) non adſit in terris, præſentiſſimam tamen eſſe fidelibus ſui Spiritus energia. Et quãuis illa quidem in cœlis permaneat, nos autem in terris ſimus, tanto ab ipſa Chriſti carnis, verè nunc quoque finitę, circumſcriptæ & organicæ ſubſtantia interuallo ſeparati, quanto terra ab illis beatorum ſedibus ſupra cœlos omnes ſitis diſtant, nihilominus tamen tam verè virtute illa arcana & inenarrabili Sp. Sãcti Chriſtum ipſum (illius ſuæ pro nobis paſſę carnis vero interuentu) noſtrum fieri, & nos viciſſim illi per fidei inſtrumentũ, ſpirituali modo conſociari, vt ipſe in nobis ſpiritualem vitam viuat, & nos in ipſo. Nos enim iſta ſpirituali vnitione aliter prorſus, id eſt abſque vlla partium σωαφῆ, cum ipſo cohærere, quàm hæc membra viſibilia inter ſe compacta cum capite ſingulorum hominum annectantur, vnde naturalem ſenſum ac motum percipiunt: ſed tamen non minus nos verè & magis etiam efficaciter ſpirituali nexu Chriſto adiũgi, vt omnes ſpirituales inde ſenſus & motus iam nunc hauriamus, & tandem beatam immortalitatem corporibus etiam ipſis vltimo die recipiamus. Hæc, inquam, exprimere te oportuit, vt tuæ & tuorum calumniæ occurratur, qui teſtamentum Chriſti à nobis euacuari, & nuda ſacra ſigna relinqui, nos denique ipſis Turcis deteriores, Omnipotẽtiam Dei inficiari, falliſſimè declamitatis. Quaſi verò huius ſpiritualis quidem, at non imaginariæ, ſed veriſſimæ & efficaciſſimæ cum Chriſto vnitionis myſterium, quod propterea Paul. Epheſ. 5. magnum appellat, non ſit multò admirabilius, & Omnipotentiæ Dei cõuenientius: quàm veſtrum illud, finitum ſimul & infinitum, viſibile & inuiſibile, Vbiquiſticum & Locale, corpus denique abſque corporis definitione, Omnimaieſtaticum: quo & hypoſtatica vnio & corporis Chriſti veritas, tollitur, & eius ſupra cœlos

Aſcen-

Aſcenſio in Diſparitionem, ſiue externum ſpectaculum vſque ad nubes, (vt auſus eſt Brentius totidem verbis ſcribere, pag. egregiæ illius ſuæ Recognit. 167.) commutatur, & Reuerſio è cœlis expungitur, quum Reuerti nõ ſit ex inuiſibili viſibilem, ſed ex verè abſente preſentem fieri, quo denique cœlum terræ miſcetur, & indigni, etſi inutiliter, tamen verè & propriè Chriſtum participare finguntur: quæ omnia ex illo veſtro dogmate tam neceſſariò quàm dies lucem, conſequuntur.

Deinde, qualis hæc tua calũnia eſt? *Beza*, inquis, *nullam Idiomatum communicationem in perſona Chriſti niſi verbalem concedit*, quod ipſum quum tu ſcriberes, vel quid ſcriberes ignoraſti, vel inſigni vſus es Sophiſtica. Communicationis enim Idiomatũ appellatione, ſi modum illum prædicationis intelligis, quo in vocibus Concretis, Chriſto, à diuerſa natura denominato, tribuitur alterius naturæ proprietas, vt quum dicitur, Deus gloriæ crucifixus, &, Filius hominis, in terris loquens cum Nicodemo, in cælis fuiſſe, falſiſſimũ eſt quod ais, hãc prædicationem à me verbalem in perſona conſtitui, quod merè Neſtorianum fuerit. Sed ſi prædicatum in eiuſmodi locutionibus concretis propria ſua ſignificatione accipiatur, (Deus enim gloriæ, nihil aliud propriè quàm Deum ſignificat, & Filius hominis, nihil aliud quàm hominem,) tum dixi & dico, hanc phraſin, ſiue hunc prædicandi modum, eſſe verbalem non realem, id eſt quod verba propriè ſonant non eſſe ad rem ipſam transferendum, quoniam merus inde Eutychianiſmus conſequeretur: nec tamẽ falſam eſſe hanc prædicationẽ, quoniã, propter Perſonæ vnitatem, in huiuſmodi locutionibus, quas veteres variis nominibus appellarũt, perſona tota ab altera tantùm natura in concreto denominatur. Prędicationes verò quibus vnius naturæ idiomata in abſtracto alteri tribuuntur, vt ſi Deitatẽ paſſam, carnẽ au-

tem Christi vbique siue Omnipræsentem esse dicas, (quod vos quidem magna cum Christiani nominis infamia asserere non pudet) non verbales, non reales, sed falsas, impias, blasphemas esse affirmaui & affirmo. Deinde quod subiicis, quo pudore rursum mihi adscribis? *Omnia*, inquis, *quæ de communicatione proprietatum diuinæ naturæ in sacra Scriptura dicuntur, tantùm de bonis creatis intelligit.* Nam, obsecro, quodnam istud est ænigma? Quod tamen, quātùm assequi potero, diuinabo. Si κοινωνίας appellatione vnionem ipsam hypostaticam intelligis, vt veteres sæpe loquuntur: hæc impietas Nestoriana, non mihi, sed Brentio, sed Iacobo Andreæ, tribuenda est. Sic enim totidem verbis Brentius pag. suæ Recognit. 40. *Discrimen Christi & Petri in eo statuendum est, quòd Filius Dei, etsi sua essentia implet Petrum, sicut hominem Christum, non tamen communicat Petro omnes suas proprietates, sed tantùm nonnullas.* Et pag. 131. *Discrimē inter Christū, & alios homines, non constat propriè in habitatione Filij Dei in Filio hominis* (& ecce tibi rursum duos ex Nestorio Filios) *sed communicatione proprietatum, quibus Filius hominis ab inhabitante Filio Dei ornatur.* Et D. Andreas Apolog. ad Thes. Ingolstadian. p. 24. *Res omnes à Deo subsistentialiter sustentantur.* Sint ergo secundū D. Andream bestiæ etiam omnes, atque adeò, quod dictu horrendum est, ipsi Dæmones subsistentialiter Deus. Et pag. 25. *Homo Christus dicitur Deus, non quia Deus sit in ipso, qui in omnibus creaturis est, etiam secundùm subsistentias: sed quia in assumptione carnis dedit huic homini omnem potestatem in cœlo & in terra.* Et rursum, *Diuinitas hominis Christi, non est illa ὁσιώδης, & æterna cum patre & Spiritu essentia communis, sed communicata à secunda hypostasi.* Et ne quis hæc perinde acciperet ac si orthodoxo sensu, non patris nō Sp. Sancti, sed solius verbi hypostasin diceret incarnatam (hypostasis autem ab hypostasi re, ab essentia verò in diuinis, ratione non re, differt) mox adiicit, *vt*

vno

vno verbo dicam, quum hominem esse Deum dicimus, nihil aliud intelligimus quàm quòd homo ad dextram Dei sedeat. Nam carnem assumere in Deum, nihil aliud est quàm quòd ei communicauit omnia dona. Auditis hæc portenta, Germani Principes, ciuitates, Ecclesiæ, & vos diutius fascinari patimini? Sin verò, Osiander, per proprietatum diuinæ naturæ communicationem, non ipsam naturarum hypostaticam vnitionem, sed dona in ipsam Christi carnem, personaliter, siue subsistentialiter assumptam, vt in subiectum effusa intelligis, quæ Iohan. per Spiritum sine mẽsura intelligit, Ioh. 3. 34. tum sanè verum dicis. Sunt enim illa omnia meræ qualitates creatæ: &, quum hoc mihi vt erroneum impingis, teipsum cædis, vt modò ex D. Andrea intellexisti, Diuinitatẽ ἀποθέωσιν, id est Deitatem non aliã Christo, quàm cuiuis homini tribuente. Quid quod idem pag. 18. apertiùs etiam hæc scribat, *Apostolum per formam Dei, secundum quam Christus dicitur æqualis Deo, intellexisse dona in ipsam carnem assumtam realiter effusa?* Quas impietates simul & Nestorianas in naturarum separatione & Eutychianas in proprietatum confusione, frustra nunc conamini Chemnitiano id est Monotheliticopigmento fucare. Pergamus. *Baptismum Beza à Paulo impropriè vocari lauacrum regenerationis contendit, neq; ab eo errore recessit, & Baptismum tantùm esse voluit Regenerationis obsignationem.* Rursum calumniaris, prætermissa Baptismi exterioris, qui est aquæ, & interioris, qui est Christi Spiritum S. largientis, distinctione: cuius, nos authores non sumus, sed Christus ipse, & Christum sequutus Petrus. Baptismum ergo exteriorem per se & sigillatim consideratum, rectè & orthodoxè negaui propriè dici lauacrum per quod regeneremur: id quod affirmare nõ pores quin ad aquæ elemẽtum vel ad Ministrum baptisantem, ex parte saltem, illud transferas, quod vnius est diuinæ virtutis incommunicabiliter, & quarto (vt in

ſcholis loquuntur) modo proprium. Denique ſentire aliter non potes quin in doctrina operis operati cum idololatris Papiſtis conſentias. Sin verò Baptiſmum vtrumque coniungas, tum ſanè anathema ſit qui Baptiſmum propriè & efficienter, propter & per Deum eius auctorẽ, regenerationis lauacrum eſſe negauerit, quum in illa actione, ablutio illa externa ſit interioris pignus certiſſimum. Sed errat ſcilicet quiſquis vobis non aſſentitur. Nam & illud, cuiuſmodi eſt, quod erroneum eſſe dicitis, *exiſtimare innumerabiles pueros in Baptiſmo non regenerari.* Dic enim, obſecro, ſi vera eſt illius enuntiationis quam ego tueor ὑπόφασις, & quicunque baptiſantur etiam regenerantur, cur nõ etiam omnes Turcarum, Iudæorum, Papiſtarum, hæreticorum quorumuis liberos pro viribus ad Baptiſmum abripitis, vt ſeruentur? Cur in tota vetere puriore Eccleſia Catechiſmus in adultis Baptiſmo ſemper præibat? Cur pueros quoque multi propterea, licet magno errore, ad pleniorem vſque ætatem baptiſandos non offerebant? Nempe quòd veſtra tunc doctrina in Eccleſiis Chriſtianis non ſonaret. Et cur agnoſcitis quidem in Cœna Domini indignos, non modò inutiliter, verùm etiam ad ſuũ exitium ſymbola atque adeò corpus Domini ſumere: omnes autem ad Baptiſmum accedẽtes, vultis Baptiſmi interioris fructum, id eſt Regenerationem adipiſci? Quodnam igitur erit inter ignorantes vel hypocritas, & verè Chriſtum confitentes, & in Chriſto baptiſari petentes diſcrimen? Et quum fidem vſque adeò in ſingulis baptiſatis requiritis, vt pueros etiã velitis eſſe fide in ipſo vtero matris præditos, aut certè vobis contradicitis, aut fidem etiam hypocritis & hæreticis tribuatis oportet, vt ſine exceptione verum ſit, omnes in Baptiſmo Regenerationem cõſequi. Sed age quoniam fortaſſis excipies de ſolis & quidem fidelium liberis, tuam illam doctrinam intelligi, age

ge hoc quoque diligentiùs expendamus. Cedò igitur, qui regenerationem ad actum Baptiſmi, & quidem vt ad cauſam efficientem, vt indiuiduam illius comitem, refers, dic, quæſo, quid regenerationem appelles. Nam ego quidem præcipuam Regenerationis partem ſtatuo in mentis illuſtratione, qua fit vt ex ignorantibus ſcientes, ex non credentibus, vel etiam pertinaciter incredulis, credentes virtute Sancti Spiritus euadamus: Quod ſi verum eſt, vt veriſſimum eſſe fatentur omnes non Pelagiani: & verum eſt itidem quod doceris, particulari Ioan. Baptiſtæ exẽplo manifeſtiſſimè, per ignorationem elenchi abutentes, fide nimirum reipſa præditos iam tum eſſe infantes, quum ad Baptiſmum adferuntur: conſequetur omnes Chriſtianos in infantia baptiſatos, præcipua ſui parte priùs etiã regeneratos, quàm baptiſarentur. Erit igitur illis Baptiſmus, (quod tamen tu mihi vt erroneum tribuis) non cauſa efficiens, non inſtrumentum, ſed σφραγὶς duntaxat infantium regenerationis, vſque adeò ſe veſtræ ſententię mutuò collidũt. Præterea conceſſo rurſus vobis illo quod ſtatuitis, omnes fidelium patrũ infantes re ipſa fide in ipſo matrum vtero donari: multò ſanè felicior fuerit eorum quàm adultorum conditio, inter quos pauciſſimi ſunt ex plurimis quos verè poſſis ſcientes & credentes exiſtimare. Eos autem ſi dixeris à fide quam habebant excidiſſe, vbi illa conſcientiæ tranquillitas, in fidei tanquam doni electorum proprij, ac proinde ἀμεταμελήτου, immotam firmitatẽ, immutabili videlicet Dei æterno propoſito, nobis in ipſius Euangelico verbo patefacto nitentem, firmiter aduerſus omnes tentationes recumbẽs? Deinde, des mihi, quęſo, baptiſatum puerum quempiam, qui ad ætatem intelligentiæ & rationis capacem adoleuerit, nec tamen de Euangelij vera doctrina quicquam audierit: quales ſunt hodie innumerabiles, & ex illo per-

contator illius fidei Christianæ mysteria, qua iam tum illũ præditum fuisse vultis quum baptisaretur, quid tandem ex eo audiet, quod vnquam crediderit? Qualis igitur, quæso, fides illa extiterit? quando ab ista infantili fide exciderit? quando ex fideli puero infidelis adultus factus fuerit, quem ne vos quidem ad Domini mensam admiseritis? Præterea si Apostolicum dictum illud, verum est. *Fides est ex auditu*, & quidem *ex prædicantis ore*, vnde tandem illa fides vestra infantilis? Et an audiendum fuerit verbum prædicatum, vt fides tum demum in nobis existat, an verò potiùs vt in nobis ex vtero inchoata, sic demum cum ætate adolescat? Item, si fides illa, quam vniuersalem esse vultis in singulis fidelium liberis, ex arcano afflatu merè παθητικῷ nascitur, afflatus ille certè arcanus ordinaria & vniuersalis causa hodie fuerit fidei in Ecclesia: verbi autem prædicatio fuerit illius tantùm appendix. Vides igitur quàm falsa, quàm absurda, quàm inepta plurima ex illo vestro dogmate consequantur? Itaque nunquam simpliciter dixi ego Baptismum esse Regenerationis in pueris obsignationem, sed adoptionis, ex fœderis formula, *Ero Deus tibi & semini tuo.* Neque dixi, pueros vel omnes vel aliquos reipsa in illo Baptismi momento regenerari, sed regenerationis beneficium suo demum tempore diuinitus ordinato, illum Baptismi actum in infantibus, ex verbi auditu subsequi: quemadmodum contrà in adultis fides & fidei effectus Baptismum ipsorum antegrediuntur, vt in Abrahamo Circuncisio, fidei iustitiam non antecessit, sed obsignauit, & Baptismus in Eunucho & Cornelio ac ipsius domesticis. Et istud est in Ecclesia perpetuò verum, vbi ritè Baptismus administratur, ad quem nemo nisi fidem Christianam professus rectè admittitur. At quando, dices, illa Regeneratio Baptismum puerorum consequitur? Certè quo tempore Deo visum est,

eſt, quoſdam etiam vndecima demum hora vocanti, & Baptiſmo iam olim ab ipſis recepto tum demum benedicenti. At num in omnibus baptiſatis iſtud euenit? Nequaquam. Solis enim electis donum fidei, & quæ illud neceſſariò conſequuntur, Dominus quo demum tempore ipſi viſum eſt largitur. Probabiliter autem quoſuis, tum pueros tum adultos, cenſere nos Chriſtiana charitas iubet inter electos, & Deo commendare. Quod ſi tibi ne iſtud quidem ſatisfacit, agedum, da mihi vel vnicum hominem etiam adultum qui Chriſtum ore, ac etiam ſi voles, honeſtis moribus profiteatur: quem tamẽ auſis, Deo vel hominibus, ſine exceptione ſpõdere, ſyncerè credere, & ſaluum futurũ: quin magnum falſi promiſſi periculum ſubeas? Neque iſtud verò Papiſticam dubitationem ponit, & fidei veræ πληροφορίαν tollit. Aliud enim eſt profiteri ſe noſſe aliorum cordis latebras, quàm in teſtimonio Spiritus Sancti, quem in ſeſe quiſque fidelis audit clamãtem, Abba pater, & in quo Chriſti mentem tenet, conſtanter acquieſcere. Nec derogat etiam iſtud magis Sacramẽtorum naturę, vel ipſius Dei veritati, quàm Euangelio decedere quidpiam exiſtimandum eſt, quum incredulorum culpa fit inutile, vel etiam odor mortis ad mortem.

Quid amplius? *Beza diſtinctionẽ inter Venialia & Mortalia peccata, Sardonio riſu excepit.* Immò, bone vir, ſi teipſum etiam non ridentem in ſpeculo contemplareris, natiuè expreſſam haberes Sardonij riſus iſtius, quam immerito mihi imaginem exprobras. Ego quidem ad illud, fateor, ſubriſi, ſed ita vt nulli præbitam certè voluerim animi in Chriſtianam Charitatem peccantis ſuſpicionem. Quidni verò fædas iſtas ſcholaſticæ cloacæ ſordes, ſi nõ indignarer vt impias, ſaltem moderato riſu teſtarer ferre me facilè non poſſe in quibuſdã Eccleſiaſticis ſcholis, obtẽtu neſcio cuius moderationis in qua

nullus modus est retineri? Cæterùm paria non esse peccata ac proinde impares illorum pœnas esse oportere, extra controuersiam est apud orthodoxos. Matthæi 10. 15. Capitalia tamen esse vniuersaliter peccata docet ipse diuinæ maiestatis sensus, & expressis verbis scribit Apostolus Rom. 6. 23. nec sanè aliter sensit Paulus ipse quũ sese, quanuis per ignorantiam peccasset, tamẽ blasphemum ac proinde peccatorem primum, id est ex præcipuis eorum esse testaretur, 1. Tim. 1. 15. & 16. Vnde igitur istã venialium & mortalium peccatorum distinctionẽ, si naturam ipsam illorum cõsideres, exortã putabimus, nisi ex hominum sibi adulantium cerebro? Sin verò gratuitam in Christo promissionem remissionis peccatorum consideremus, omnia certè resipiscentibus (est autem & ipsa resipiscentia Dei donum, non ex nobis) sunt venialia, vnico excepto, ex quo etiam nullus vnquam resipuit. Ergo sic quoque inutile, imò etiam valde periculosum est, & meritò abolendum illud discrimen, ex Scholasticorum, vel potiùs sophistarum lacunis haustum: vtpote quod non possit, nisi admodum ἀκύρως, ad iudicandam peccatorum imparitatem accommodari. Hoc refelle si potes. Sin minùs, calumniari desine. Sed quoniam hîc tibi subrisum meũ exagitare libuit, quæro à te & cæteris verborum meorum exceptoribus, cur duas alias non irrisionis profectò, sed tamen paulo plenioris risus occasiones prætermiseritis, quum ad rem non parum faciant. Quærebam, instabam, vrgebam vt D. Andreas non declamitaret sed syllogisticè mecum ageret. At ille, per vitam meam, inquit, nunquam sic vidi in scholis nostris disputari. Ego tum subrisisse me fateor: sed neque blando risu neque precibus obtinere syllogisticam disputationem potui. Verum an falsum dicam, auditores omnes tibi testes fero. Vrgenti verò Andreæ intolerabilẽ illam Baptismi

tiſmi obſtetricum corruptelam, quum opponerem veram illam Bernardi deciſionem, Baptiſmi contemptu, non autem priuatione quēquam fieri damnationis reum: & contempſiſſe Baptiſmum videri non poſſe, qui Baptiſmo legitimè, & eo, quod inſtituit ſacro miniſterio Dominus, illum obtinere non potuiſſet: nec illi reſponſioni acquieſceret: tum D. Andreas obiiciens moribundi alicuius antea infidelis exemplum, qui ſpiritu Dei tactus baptiſmum inſtanter peteret, nec illum à quopiam paſtore nanciſci poſſet: Ego viciſſim quæſiui, quid ſi miſerrimus aliquis ac penè deſperatus peccator, Cœnam Domini inſtantiſſimè flagitaret, nec vllus adeſſet paſtor, ac ne vir quidem, ſed muliercula quæpiam, an cœnam illi à muliere adminiſtrandā cenſeret. Tum ille, cauſatus (vt etiam in his actis pagina 501.) magnum eſſe in his diſcrimen, quoniam infans in caſu neceſſitatis nunquam antea fuerit baptiſatus, ille verò Chriſtianus adultus ſæpe antea Cœnā Domini in cœtu Eccleſiæ celebrauerit. Ego verò contrà, Immò, inquam, hominem hunc repentè ex papiſmo liberatum, vel recens ex Iudæo, vel Turca, factū Chriſtianum, qui Cœnā Domini nunquam celebraſſet, & in agone penè alioqui deſperantem, num velles in hac neceſſitate quempiam priuatum, vel etiam mulierculam, Cœnam Domini illi præbere? Nequaquam, inquit, D. Andreas (quod in iſtorum Actorum editione, vt & alia plurima præteritum eſt) ſed illum hortarer vt bono animo eſſet, etiam ſi Cœnam Domini participare nō poſſet. Sed quid ſi, inquam, ille non acquieſceret? Tum D. Andreas totidem iſtis verbis, Dicerem, inquit, illi, Vade, morere igitur cum omnibus diabolis: ad quæ me ſubridentem reſpondiſſe fateor, Eſſes profectò, (mi Domine doctor) illius miſeri miſerabilis conſolator. Neque verò iſta tam feria ſimul & tam ridicula commemorarem, niſi iſti ſua

excerpta tãtopere, tum in ipsa quoque editi libri inscriptione, tum in illa Illustriss. Principi dictata præfatione, vt candidè & bona fide consignata, commendassent.

Quid amplius? *Beza disseruit de Prædestinatione penè ad sesquihoram.* Dixi sanè diu, partim vt copiosè simul & perspicuè aduersus innumerabiles calumnias hunc locum per se obscurũ illustrarem, partim vt secuturæ disputationi offendiculorum plenæ, quod animaduertere mihi difficile non erat, quoad eius fieri posset occurrerem. Quid si verò vno verbo dixissem quod res est, nempe hac in re nobis planè & per omnia cum D. Luthero ex Dei verbo conuenire, num sic vobis os obturassem? Nescio: vos autem videritis. Saltem verò mihi tandem licuerit aliquo modo tot verbosissimas D. Andreæ declamationes hac vna compensare, quibus collata mea responsa, sicut à vobis edita sunt, ne vicesimã quidem partẽ illius dictorum æquauerint. Sed ad rem, præfatus Deum nullius esse mali authorem, dixi quod & res ipsa conuincit, & Paulus manifestissimè in illa expressa huius totius loci explicatione cap. ad Rom. 9. exponit: & inter veteres August. toties inculcat, Deum nec quod iudicaret, nec cuius misereretur habiturum fuisse, nisi peccatum ingressum esset in mundum, quod vtique non sciuisset, inquit August. nisi bonum esset, quod ad ipsum attinet, etiam mala esse: quæ non sinit vtique inuitus, sed volens: vt non fiat absque ipsius voluntate, id quoque quod fit præter eius voluntatem. *Sed nostra*, inquis, *non refutauit Beza, & vnius tantùm Scripturæ testimonij mentionem fecit.* Iudex esto huius rei æquus lector, ex nostris thesibus & responsis, nisi & illæ & istæ sint ex ipsis Scripturæ verbis penè confutæ. *Sed his offensus*, inquis, *Illustriss. Princeps, coràm expressè confessus est, se nunquam existimasse, tantam impietatem sub dogmate Caluiniano latêre.* Imò ipse D. Andreas literis Tubinga datis 6. Maij, ausus

auſus eſt ſcribere, *Illuſtriſſ. Principem, per ſecretarium ſuum in Collocutorum & Gallorum plurimorum præſentia, Bezæ & collegis ipſius dicendum curaſſe, Celſitud. ſuam, tantum ex hoc Colloquio didiciſſe, vt etiam ſi tota vita ſua Zvvinglianus fuiſſet vel Caluiniſta, hoc ipſo tamen momento per Dei gratiam fuerit illud dogma in æternum deſerturus.* Egoverò quid inter alios de noſtra Collocutione cenſuerit aut iudicarit Illuſtriſs. Princeps neſcio: & facilè mihi perſuadeo illum, in hoc præſertim prædeſtinationis argumento, quod humanæ rationis captum ſuperat, nõ ita exercitatum, & Tubingæ veluti in horum Theologorum finu educatum, facilè ſuis illis adhæſiſſe. Sed hoc ſcio nunquam neque ab ipſius ore, neque per Secretarium ipſius audiuiſſe me, ex quo illum in vnas potiùs quàm in alteras partes inclinare mihi conſtaret, ſed æquum illum vtriſque ſemper in publico conuentu præfuiſſe. Sed demus ita eſſe, fallimini vos omnes vehementer, ſi me exiſtimatis, quamuis huius ſeculi poteſtates omnes, ea, qua par eſt, & quã Dei verbum præſcribit, reuerentia proſequar: poſſe tamen vlla ipſorum auctoritate vel potentia, quum de tuenda veritate quæritur, vel tantillum terreri. Quod autem me abrumpere Colloquium iſtud voluiſſe dictitatis quaſi tergiuerſantem, & ferias Paſchatis prætendentem, *quas*, inquis, *iſti alioquin parùm ſollicitè obſeruant*: riſu potiùs dignatus fuero quàm refutatione. Extant autem noſtræ illius petitionis cauſæ veræ, cuius libellum à vobis ipſis editum fuiſſe gaudeo. Et quod de feriis Paſchatis, obiter parùm ſolicitè à nobis obſeruatis nugaris, tu ſcilicet multò religioſior, pleniùs nobis explicabis quum voles.

Hæc autem omnia quum ita ſe habeant, vtra pars vtri iniuriam fecerit, vtra Spiritu pacis & Concordiæ agatur, vtra pars Illuſtriſſ. Principem tanquam antea ad Caluiniſtas quos vocãt inclinantẽ, vltrò citróque ſcri-

ptis literis accusauerit, iudicet ex istis non ipse modò Illustriss. Princeps Mompelgardensis, verùm etiam Illustrissimi omnes Germaniæ & omnium populorũ Principes, quorum facilitate quousque tandem abusuri sint, qui ex istis controuersiis, & nomen sibi quærunt, & rem faciunt, nouit Dominus τῆς εἰρηνικῶν preces, & gemitus, suo tempore exauditurus.

THE-

THESES THEOLOGORVM VVIRTEMBERGENSIVM DE Cœna Domini.

I.

EXTRA controuerſiam eſt, omnes fideles ſpiritualiter manducare carnem filij hominis, & bibere eius ſanguinem: ſecundùm illud Chriſti dictum: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis, Ioan. 6. Hæc ſpiritualis manducatio fit per fidem, etiam extra vſum Cœnæ Dominicæ, & ſemper ſalutaris eſt. Sic enim Chriſtus ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, Ioan. 6. Quum manducatio in Cœna Domini interdum ſit perniciosa, & ad iudicium cedat. Itaque conſtat, hanc ab illa diuerſam eſſe: tametſi ad ſalutarem Sacramenti Cœnæ Dominicæ perceptionem, ſpiritualis manducatio ſit neceſſaria.

Ioann. 6.

Diſcrimen inter manducationē carnis Chriſti Ioan. 6. & ſacramentalem.

RESPONSIONES AD THESES Theologorum Vvirtembergenſium.

Antitheſis I. *Th. Bezæ.*

Refutationes D. And.

IPſius Chriſti [1] *Nullam aliam* ſtatuimus perceptionem, ſiue in ſimplici verbo, vt Ioan. 6. ſiue in Sacramentis, vt in inſtitutione Cœnæ Domini, niſi [2] ſpiritualem, id eſt, eam, quæ Spiritus ſancti virtute, & fidei inſtrumēto peragitur. Eam tamen, quæ eſt ſimplicis verbi, à ſacramentali differre agnoſcimus, externa quidem forma: [3] ſed non re ipſa, quæ ſignificatur & præbetur: neque eius perceptione. Nam in verbo ſimplici Deus per aures tantùm nobiſcum a-

1 Hoc apertè pugnat cū verbis Teſtamēti Chriſti, qui de oris perceptione loquitur, quū inquit, Accipite, MANDVCATE, Hoc eſt corpus meum. Præterea manducatio corporis Chriſti, quę fit ore, ad confirmationē māducationis per fidem factæ inſtituta eſt.

2 Spiritualis dicitur, quia modus eius ſpiritualis: qui etiam fide ad iudiciū fieri poteſt, quādo manducātes indignè, corpus Domini non diiudicant, 1. Cor. 11. 3 Non ſolum ex-

terna forma: sed etiam reipsa differūt, quia singularis est modus ille manducationis in Sacramento.

git: in Sacramentis verò adhibet etiam alia, in reliquos sensus incurrentia. Vnde fit, vt nisi accedentiū indignitas obstiterit Sacramentorum efficaciæ: vehemētior & expressior sit Sacramētalis, quàm merè & nudè spiritualis per simplex verbū, cōmunicatio.

Ad marginales refutationes.

D. Andreas nihil de Sacramentorum natura, neque de Sacramentali Signorum, id est panis & vini, & rei, id est ipsius Christi coniunctione præfatus, incipit disputationem à discrimine perceptionis carnis Christi, quæ fit in simplici verbo per fidem, & eius quæ fit in sacra Domini Cœna: quas differre in eo dicit, quòd illa sit Spiritualis & semper salutaris, etiam extra Cœnæ vsum, ista verò interdum pernicioſa. Vides, lector, vt de peruersa methodo nihil dicam, mutilam esse antithesin: quam, si possum satis rectè D. Andreæ mentē coniicere, sic suppleo, Illa est Spiritualis & solius efficaciæ, siue beneficiorum Iesu Christi, per fidem: ista est substantialis siue ipsiusmet carnis & sanguinis Christi, & oris instrumēto peragitur: illa semper est salutaris, ista interdum pernicioſa. Nos autem oralem carnis Christi perceptionem nullam agnoscimus, sed solam Spiritualem statuimus, & quæ vnico fidei instrumento, tum in verbo, tum in Sacramētis efficiatur. Nullam etiam ponimus Spiritualem, quæ ipsam Christi carnem excludat, id est, nullum fieri dicimus beneficiorum Christi participem, qui non ipsum quoque Christum, à quo emanant, possideat, sicut cibo naturali nemo nutritur, nisi cibum ipsum sumat. Tertiò spiritualem hanc perceptionem siue in simplici verbo siue in Sacramentis, semper salutarem, nulli exitioſam esse affirmamus: Exitium enim non ab ipsa carne Christi indignè percepta, sed indignè & per incredulitatem repudiata, emanare, ac proinde Sacramentalem Christi perceptionem, quæ in simplici verbo fit, à Sacramentali, non re, quæ est vtrobique ipse Christus cum suis beneficiis: non perceptione ipsa quæ vtrobique spiritualis est: non perceptionis instrumento, quod vtrobique est fides: sed externa tantùm forma differre: quoniam videlicet in Sacramentis, signa corporalia verbo promissionis adiiciantur. Hāc certissimam veritatem, D. Andreas his argumentis in marginalibus suis refutationibus sic oppugnat.

Primùm quòd loquens Christus de suo corpore & oris perceptione, dixerit, Manducate, hoc est corpus meum. Respondeo, vsum

ſum quoque Chriſtum, Ioan. 6. Carnis & Sanguinis, & Manducandi & Bibendi vocibus: quãs, cedò, cur metaphoricè quidem illo loco, in Cœna Domini verò naturali ſignificatione explicandas contendit? An non, vt rectè docet Auguſt. quòd flagitium alioqui & horrendum ſcelus, realem videlicet & oralem humanæ carnis eſum & humani ſanguinis potum Chriſtus videretur præcipere? Certè ita eſt: neque hic nodus expediri vllo Omnipotentiæ Dei κρυφυγετῷ, vel Viſibilitatis & Inuiſibilitatis diſcrimine, vel Incomprehenſibilis modi commento, poteſt. Quocunque enim modo humanam ipſam carnem & humanum ipſum ſanguinem ore reipſa bibas vel comedas, Cœna eſt Capernaïtica. Sed aliam rationem fortaſſis afferet D. Andreas, nempe quoniam cap. Ioh. 6. nulla fit mentio adiunctæ rei alicuius corporeæ: ideóque Manducandi & Bibendi voces oporteat metaphoricè accipere: cuius etiam metaphoræ vſurpandæ occaſionem præbuit Chriſto miraculum illud 5. panum, & quod eius aduerſarij de manna obiecerant. Sit ita: Manducandi enim & Bibendi voces concedo & tueor, propter cauſam proximè ſuperiùs allatam ex Auguſtino, nunquam aliter quàm metaphoricè de carne & ſanguine Chriſti dici: ſed carnis ipſius & ſanguinis Chriſti vocabula, figuratè illic non propriè accipi, quis D. Andreæ conceſſerit? & effectus, ſiue beneficia ex morte Chriſti promanantia extra ipſummet Chriſtũ ſignificare? Panis, inquit, Chriſtus, quẽ ego dabo, eſt caro mea, quã ego dabo pro mundi vita. Num, quæſo, metaphorica quædam caro data pro mundi vita? Num ſanguis metaphoricus pro peccatis noſtris effuſus? Reſtat ergo vt cap. Ioh. 6. neque carnis, neque ſanguinis voces aliter quàm in Cœnæ Domini inſtitutione accipiantur, nempe ſua illa ſignificatione propria & natiua: nec etiam aliter quàm tranſlatitiè vtrobique Manducandi & Bibendi verba ad animi & fidei ſpiritualem ſumptionem & perceptionẽ, vſitatiſſima in omnibus corporis ſenſibus phraſi, tranſferantur. Sed hoc intereſt inter merè Spiritualem in nudo verbo carnis & ſanguinis Chriſti abſque pane & vino manducationem, cuius fit mentio cap. Ioh. 6. & eam itidem Spiritualem quæ fit adhibitis pane & vino in Cœnæ Domini inſtitutione: quòd hæc ſit Sacramentalis, id eſt ſignis externis verbo adhibitis peragatur: ac proinde, ſicuti duæ res in Cœna Domini percipiendæ, panis videlicet & vinum ori, caro autem & ſanguis Chriſti Spiritui noſtro & fidei proponuntur, ita duplex ſit eſus & potus. Vnus, putà ſignorum, corporeus: alter verò, nempe rerum, ſpiritualis, &

Mentis non Dentis, vt idem scitè loquitur August. de ipsa Cœna differens. Et vt magis etiam perspicuè intelligat D. Andreas veteres patres non alium constituisse manducandæ in cœna carnis Christi modum, quàm illum ipsum spiritualem, qui commemoratur cap. Iohan. 6. audiat Cyrillum & Chrysostomum hac ipsa de re differentes, & quærentes cur in Cœnæ institutione non sint offensi discipuli illa carnis sui præceptoris præcepta manducatione, & eiusdem sanguinis mandato potu: *Ideò*, inquit Cyrillus, *nec obstupuerunt nec obmurmurarunt Apostoli ad tantum prodigium, quoniam antea corripi viderant, qui ad eius promissionem obstupuerant, & rem prius sibi confirmatam meminerant, qua tum exhibebatur.* Et Chrysost. *Quomodo*, inquit, *turbati non fuerunt Apostoli, quum hæc audissent? Quoniam multa iam & magna de hoc disseruerat*, cap. videlicet Ioh. 6. in quo Spiritualem esse huius esus & potus modum ostenderat. At enim, inquiet fortassis D. Andreas. Caro quoque & sanguis Christi sunt res corporeæ, non minus quàm panis & vinum. Cur non igitur oralis quoque fuerit illorum manducatio? Quoniam sic comesæ nihil prodessent ad vitam æternam. Ventrem enim pascerent, non mentem: quoniam, vt modo dixi, Capernaitica non Christiana esset hæc cœna. Sed & sanguinem suum vel alterius, lege adhuc vigente, ore potandum suis Apostolis Christus nunquam propinasset, nec bibissent illum Apostoli: vt qui multis post annis Gentibus præceperint, vt in Iudæorum gratiam à sanguine abstinerent. Deinde corporis Christi verè organici & vnici, nunc in cœlis non in terris residentis, veritas, istud nullo modo ferre potest, quamcunque distinctionem adhibeas. Denique ista perceptio carnis & sanguinis Christi tum in verbo, tum in Sacramentis, ad coniunctionem mysticam fidelium cum Christo refertur: quæ nullo corporum nostrorum vel inter nos, vel cum Christi carne contactu reali constat: sed merè Spiritualis est, ab inenarrabili Sp. Sancti virtute verissimè & efficacissimè, quantumuis longissimis locorum interuallis dissita, connectentis, dependens: & fidei instrumento quasi vinculo, prout promissionis formula fert, astricta. Quamobrem etiam ab Irenæo corpus & sanguis Christi dicuntur res cœlestis, non certè ratione substantiæ, sed vsus Sacramentalis: panis autem & vinum res terrenæ, quamuis à communibus rebus, quod ad vsum, distinctæ.

Secundò sententiam nostram oppugnans D. Andreas, obiicit corporis Christi manducationem quæ fit ore, institutam esse ad confir-

confirmationem manducationis per fidem factæ: in quo reſponſo puerilis eſt paralogiſmus, qui in ſcholis dicitur. Petitio principij: præſupponit enim idipſum de quo quæritur, nempe Chriſti corpus ore percipi: quod falſum eſſe paulò antè euicimus. Non igitur carnis & ſanguinis Chriſti manducatio oralis, quæ nulla eſt, ſed panis & vini corporeus & oralis eſus & potus, eſt myſterij illius magni, vt loquitur Apoſtólus, id eſt ſpiritualis & ineffabilis noſtræ per fidem cum Chriſto capite conſociationis σφραγὶς, pignus & teſſera.

Spiritualis, inquit Doctor Andreas, *dicitur carnis & ſanguinis Chriſti eſus & potus, quia modus eius eſt ſpiritualis, qui fieri poteſt etiam ſine fide ad iudicium, in his videlicet qui corpus Chriſti non diiudicant.* Atqui ſi Spiritualis, non igitur Oralis. Quod enim reipſa præſens & intra manus traditum, ore ipſo corporis comeditur & bibitur, naturali modo & facultate peragitur. Neq; huic reſponſioni obſtat illa commentitia inuiſibilitas corporis. Nam etiamſi hoc daretur, pertineret ad præſentiæ, nō autem ad manducationis modū: quæ ſi oralis eſt, & tum pani & vino, tum carni & ſanguini Chriſti communis, certè Spiritualis non eſt, ſed merè corporalis & naturalis. Quòd ſi Spiritualem. D. Andreas hūc modum appellat, quoniam à Sp. S. virtute pendeat: quînam à fide diſiungetur? Agitur enim hîc non de Prophetiæ, non de miraculorum dono, & aliis eiuſmodi quæ Spiritus Sanctus etiam infidelibus nonnullis largitur, ſed de hominis cum Chriſto, per carnis ipſius participationem, conſociatione, quam proinde neceſſe eſt ſolis fidelibus eſſe propriam, quum nulla ſit luci κοινωνία cum tenebris. Neque verò dicit Apoſtolus ab indignè & ſine fide accedentibus Chriſti corpus & ſanguinem, ſed panem illum & vinum illud edi & bibi, & quidem ad exitium, quòd non diiudicent corpus Domini, id eſt quòd nullam habeant rationem pretioſi illius theſauri, quem in illis epulis Chriſtus ad vitam æternam (adhibito duplici panis illius, & vini illius pignore) vtendum fruendum præbet, & ipſi ſua incredulitate impudenter reſpuunt. Ad ſecundam.

Singularis eſt, inquit D. Andreas, *Sacramentalis ille modus manducationis: ergo non ſolùm externa forma ſed etiam reipſa differt àmerè Spirituali, qui fit per fidem.* Nego huius enthymematis antecedens, quo quidem ſenſu D. Andreas loquitur. Nam ſi ſingularis: Ergo proprius. Quomodo verò proprius, ſi oralis, quum hanc manducationem ipſemet velit eſſe communem tum pani & vi- Ad tertiam.

no, tum carni & sanguini Christi: atque adeo quum ea sit naturalis, & omnibus quæ ore eduntur & bibuntur communis? Nego præterea consecutionem manifestè falsam. Nam, ecquid nos quidem Spiritualiter tantùm & per fidem, percipi docemus: D. Andreas verò oraliter percipi vult? Certè vnam & eandem rem, nempe Christi carnem & sanguinem, quæ sunt vnica & nõ multiplex illa Christi natura humana pro nobis assumpta. Nullum igitur hîc in re ipsa, sed in perceptionis modo & instrumento discrimen.

Thesis II. Vvirt.

Manducatio carnis Christi Capernaitica damnata.

Neque vnquam cum Capernaitis sensimus, neque sentiemus: qui putabant, carnem Christi dentibus laniandam & manducandam eo modo, quo carnes bouinæ, aut aliæ comeduntur. Quare nihil opus est de Capernaitica laniena aut manducatione disputare.

Antithesis II. Th. Bezæ.

1. Nos sacramentalem manducationem esse dicimus.
2. Non hoc solùm modo differunt: sed quòd per omnia spiritualis sit ratio corporis Domini, in hoc mysterio: quæ cũ Capernaitarũ crassis cogitationibus aperte pugnat.
3. Non quæritur, quid vos videre, vel non videre possitis: sed num hæc cũ verbo & voluntate Christi pugnent.

Etsi[1] essentialis corporis Christi esus, & eiusdem sanguinis potus, statuatur [2]eo differre à vulgari edendi & bibendi modo, quòd ille quidem inuisibiliter, iste verò visibiliter fiat: tamen nos quidem [3]nõ videmus, quînam vnus & idem non sit edendi modus, quantùm ad rem ipsam: non autem, quod ad illam circumstantiam visibilitatis vel inuisibilitatis attinet, si statuatur ipsam corporis & sanguinis Domini substantiam, ore corporis comedi & bibi.

Ad marginales refutationes.

In secunda sua Thesi Vvirtembergici testantur à se semper damnatam & damnãdam esse Capernaiticam manducationem, quam & nos detestamur. Respondi & respondeo, verbo quidem illos id damnare, reipsa verò probare: quoniam oralis esse manducatio ipsius-met Essentiæ carnis & sanguinis non potest, quin Capernaitica sit. Nec enim illa definiri potest ipsorum verbis, Dentium videlicet laniena, quod vanissimum est subterfugium.

Nam

Nam siue solidum corpus, totum, semel, siue dentibus ad morsum & frustulatim, & siue visibiliter, siue inuisibiliter ipsa carnis Christi essentia, & ipse essentialis Christi sanguis (tunc quidem adhuc intra venas Christi conclusus, quum Cœnam instituere) ore comedi & bibi dicatur: negari nisi peruicacissimè non potest, hūc ipsum esse Capernaiticū esum & potum, quo cibus quiuis comeditur, & alius quiuis potus bibitur. Nā illud discrimen cōmentitium quo caro Christi vera & actu primo adesse aliter falsò dicitur, quàm veritas ipsius ferat, etiā si concederetur: tamen oralis ac proinde naturalis esus ipsius maneret. Sunt autem hæc horrenda. Fateor. Ergo sunt pari horrore detestanda, ex quibus positis necessariò statuuntur.

Primò, *Sacramentalem*, inquit, *esse manducationem: non ergo Capernaiticam*. Respondeo, veram esse conclusionem si Sacramentalem definiret spiritualem, & quæ solo fidei instrumento peragenda sanciatur, adhibita sacrorum symbolorum naturali & orali manducatione. Capernaiticam autem negare, quæ sit oralis, siue sacra symbola adhibeantur, siue minus, est effectum negare cuius causa necessaria statuatur, & definitum inficiari posita definitione. Ad primam.

Secundò, *Ratio*, inquit, *Corporis Domini per omnia Spiritualis est in hoc mysterio, Ergo pugnat cum Capernaitarum crassis erroribus*. Respondeo, si Spiritualis ratio sit corporis Domini in hoc mysterio, Ergo nō consideratur corpus vt tangibile. Quum hac ratione corpus à Spiritu differat. Quod si nō vt tāgibile & Quantum, Ergo non sua essentia præsens, quæ si tāgibilis nō est, nō est corporea, id est simul corpus, simul & non corpus. Quod nisi concedat D. Andreas ad suum illud κρησφυγετὸν Omnipotentiæ diuinæ & ineffabilis modi vanissimum commentum refugiens, peto, si verum corpus potest essentialiter adesse, Spirituum modo, id est, nō circūscriptiuè, nec tangibiliter, nec localiter: siue, si circumscriptio & materiata moles locum occupans, non est inseparabilis & prorsus essentialis proprietas corporis materiati & organici: quinam Sophista non fuerit Christus, veritatem & præsentiam excitati sui corporis ab his τεκμηρίοις probans, Palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa nō habent. Nam hęc ἀπόφασις, Hoc non est palpabile, ergo nō est corpus: & hæc κατάφασις, Hoc est palpabile, ergo est corpus, necessariò inter se reciprocantur: & eōdem fundamento nituntur. Quæro & illud, quæ sit ista spiritualis ratio? Certè vel definitiua sine circumscriptione, vel re- Ad secundam.

pletiua, ſine vlla definitione. At illa propria eſt Angelicæ naturæ, & hominum animæ, vt neceſſe ſit ab iis corpus Chriſti in Angelicam naturam mutari in Cœna Domini, qui Spiritus ratione & modo illud adeſſe in Cœna ſomniant. Num autem etiam ſpiritualis res ore comeditur & bibitur? Sed quid ſi ne hæc quidem præſentia illos ſubleuat? Nam ne beati quidem illi Spiritus ſimul definitiuè, pluribus nedum innumeris locis præſentes adeſſe poſſint, vt aduerſus Macedonianos Eccleſia orthodoxa iampridem ex Dei verbo definiuit: Spiritus S. Deitatem, & diſcrimen à creatis ſpiritibus inde quoque probans, quòd Spiritus S. ſit eſſentialiter, & agat vbique. Hæc cauſa fuit cur D. Lutherus, contẽtionis feruore extra omnes veræ Theologiæ limites progreſſus, non contentus illa definitiua corporis Chriſti præſentia, auſus ſit etiam repletiuam illam præſentiam vbiquitariam comminiſci, dupliciter tamen ipſemet ſuum dogma cõfodiens. Sic enim & hypoſtaticam definitionem, qua falsò innititur, abrogat (Eutychianiſmum, id eſt transfuſionem proprietatum inuehens) & illud ipſum tollit, quod alibi rectè vult eſſe Cœnæ Domini proprium. Etenim ſi ratione hypoſtaticæ vnionis humanitas quoq; Chriſti vbique eſt repletiuè, non idcirco fuerit corpus Chriſti In, Sub, vel Cum illo ſacro pane, neque ſanguis, In, Sub, vel Cum illo ſacro vino, quia ſacram ſuam Cœnam ſic inſtituerit Dominus: ſed qua iam nõ modò cum illo pane & vino, ſed etiam cum omnibus rebus ab ipſo vnionis hypoſtaticæ momento adfuerit & adeſt, & aderit quandiu res illæ ſtabunt. Quorſum fuerit iſta hypoſtatica vnitione opus ad repletiuam illam aſſumpti corporis præſentiam, ſi verum eſt quod in ſuis Theſibus D. Andreas, ſcribit, penitus quidem à veritate aberrans, *res omnes à Deo ſubſiſtentialiter ſuſtentari*, pag. Apolog. ad Theſ. Ingolſtad. 19. & pag. 38. *Chriſtum hominem hoc habere commune cum omnibus ſanctis quod cum eo Deus perſonaliter fuit vnitus*? En iſtius eſſentialis præſentiæ, & oralis manducationis fructus: qua, ſcilicet, teſtamentum filij Dei confirmatur. Et nequis hic excipiat, humanas has eſſe gloſſas, quæ de definitiua & repletiua præſentia dixi, ſciat hos eſſe D. Lutheri fœtus, vnde poſtea meritò pedem referre conatus eſt: ſed ſerò: Brentio poſtea cum ſuis eò vſque eâdem via progreſſo, vt etiam ſit auſus diſertis verbis, Aſcenſionem Chriſti in externum ſpectaculum vſque ad nubes transformare, & Vbiquitarios cœlos & inferos ſtatuere. Et iſta portenta diutiùs audies Germania?

Et

Et hoc illud eſt, quod & quæſiuimus & inuenimus, Deum videlicet, qui verax eſt & immutabilis, quum ſit teſtatus ſe velle vt perpetua ſit veritas, ac perinde localitas & circumſcriptio humanitatis à Chriſto perſonaliter aſſumptæ, manifeſtè quoque declarare ſe nolle vt vſpiam ſit niſi circunſcriptiuè & localiter, quoniam contradictoria velle, id eſt mentiri, nec poſſit nec velit. Ad tertiam.

Theſis III. Vvirtem.

Neque tranſſubſtantiationem Pontificiorum recipimus, qui fingunt, panem in ſacra Cœna Domini conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti, & vinum tranſmutari in ſanguinem Chriſti: ſed fatemur, quòd in ſacra Cœna verum panem edamus et verum vinum bibamus, nulla intercedente tranſſubſtantiatione. Tranſſubſtantiatio Papiſtica damnata.

Antith. III. Th. Beza.

Aſſentimur.

Eſt enim Tranſſubſtantiatio quoque merè Capernaitica: & iiſdem illis fundamentis deſtruitur, quibus & Conſubſtãtiatio: quamuis illa (licet non minus falſa) propiùs tamen à verbis inſtitutionis Cœnæ Domini κ) τὸ ῥητὸν intellectis diſcedat. Dicunt enim Tranſſubſtantiatores, verbis illis diuinis operatoriis, id quod antea erat panis, mutata ſubſtantia, repẽtè fieri ipſummet corpus Chriſti, vt ita ſit verum hoc enuntiatum, Hoc eſt corpus meum, &c. Illa verò Cõſubſtantiatorum explicatio, hoc eſt corpus meum, id eſt, In, Cum, vel Sub hoc pane eſt corpus meum eſſentialiter, non declarat quid euaſerit panis, nec quid ſit corpus, ſed tantùm vbi ſit: & præterea, tranſpoſitis terminis, prædicatum fit ſubiectum, & contrà, Subiectum fit prædicatum. Quæ commenta, ſunt ipſa etiam Tranſſubſtantiatione, quod ad phraſin attinet, abſurdiora: &, quanuis alia via, eundem tamen prorſus errorem Capernaiticum inuehunt.

Theſis IIII. Vvirt.

Neque Phyſicam & localem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna præſentiam aut incluſionem ſtatuimus.

Antitheſis IIII. Th. Bezæ.

Ipſius corporis & ſanguinis Chriſti, quantumuis glorificati ſubſtantiam, [1] non videmus poſſe reipſa cum pane & vino, præſentem ſtatui, aliter quàm [2] phyſica & locali circumſcriptione. Quia glorificatio, vt rectè ait Auguſtinus, ex perpetuo totius Eccleſiæ conſenſu, corpori Chriſti immortalitatem dedit, naturam non abſtulit.

1. Non quæritur, quid vos videre, aut non videre poſſitis: ſed quid Chriſtus dicat, & iubeat: Accipite, Manducate: Hoc eſt corpus meum.

2. Nihil ergo contra noſtram doctrinam pugnat: qui minimè aſſerimus corpus Chriſti phyſica locatione in Cœna Domini adeſſe.

Ad marginales refutationes.

Nihil hic adfert D. Andreas, quod refutationem mereatur. Dixi me non poſſe videre quod docet. Hanc modeſtiam meam ipſe irridens reuocat me ad ſuum, Accipite, quaſi non ſit ei ad hoc millies reſponſum. At ego hûc illum reuoco, quînam verè corpoream ſubſtantiam non aboleat, qui ſtatuit illam ſine circumſcriptione, & non vt palpabilẽ & Quantam, vſpiam præſentem eſſe poſſe: & mirari me fateor, cæcitatem mihi hic ab eo exprobrari, quam ipſe in ſeſe & ſuis deinceps in hoc ipſo ſuo myſterio agnoſcat pag. 176. & id quidem meritò. Quis enim corpus illocaliter præſens vnquam oculis vel intellectu videre potuit, quod nec fuerit vnquam, nec ſit, nec futurum ſit?

Theſis V. Vvirt.

Status controuerſiæ.

In controuerſiam autem venit: An in ſacra Cœna verum corpus, & verus ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti verè & ſubſtantialiter ſint præſentia: atque cum pane, & vino diſtribuantur, & ore ſumantur, ab omnibus illis, qui Sacramento vtuntur, ſiue digni ſiue indigni, boni aut mali, fideles aut infideles: ita tamen, vt fideles in Cœna Domini conſolationem & vitam percipiant: Infideles autem eam ad iudicium ſumant. In hac quæſtione, nos affirmatiuam ſententiam amplectimur & defendimus.

Antitheſis V. Th. Bezæ.

Nos verò negatiuam tuemur: nec tamen negamus verum illud corpus, & verum illum ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, verè quibuſuis accedenti-

dentibus in Cœnæ actione legitima [1]præberi: [2]sed mente, non corpore: nec ore, sed fide percipienda. Vnde fit, vt indignè accedentes, & fidei instrumēto carētes (quanquā [3]integrum Sacramentū illis quoq; præbeatur) nihilominus tamē sola signa percipiant, & ita quidē, [4]vt rei fiant corporis & sanguinis Domini: non quæ sumpserint, sed quæ contempserint.

1. Præstigiæ verborum, & æquiuocatio in vocabulo præberi: quod propriè præsentiam rei in apertis verbis præsupponit.

2. Contra Christus: qui nulla fidei mentione facta, dixit: Accipite, Mā-

ducate, Hoc est corpus meum. 3. Integrum Sacramentum non præbetur ei, qui partem eius, eámque minimam, videlicet, externa tantùm signa recipit. 4. Manducando, non negligendo, aut contemnendo accipiunt iudicium: 1. Cor. 11.

Ad marginales refutationes.

Nulla est æquiuocatio in præbendi verbo, quum exprimamus non ori sed menti hanc præbitionem fieri. Sacramentalis enim præbitio dicitur in qua aliud videtur, (nempe signum) aliud intelligitur, ac proinde menti præbetur & mente percipitur, nempe res significata. Quod autem menti præbetur ab ea apprehendendum, minimè semper necesse est præsens ibi adesse, vbi situm est eius corpus, cuius menti præbetur. Immò interdum ne in rerum quidem natura existere semper illud oportet ad perceptionis veritatem & efficaciam. Nec enim phantasticum & imaginarium fuit quod de Abrahamo dicitur, illum videlicet, nō corporis certè, sed mentis & fidei oculis, diem Domini vidisse, & propterea gauisum. Et patres testatur disertè Paulus eandem atque nos escam edisse, & eundem potum bibisse, nempe Christū: quòd oculis fidei subsistunt, ea etiam quæ sperantur, ex Dei verbo, ac proinde quæ reipsa nondum videntur, Heb. 11. 1. Ad primam.

Secundò, quod dixi non corpori sed menti, non ori sed fidei, veram illam carnem, & verum illum sanguinem præberi, oppugnat ex eo D. Andreas, quòd Christus, nulla fidei mentione facta dixit, Accipite, Comedite. Noua certè & antea inaudita Theologia. Quis enim ignorat Euangelium vnum & idem esse, siue simplici verbo prædicetur, siue adiunctis sacris symbolis & ritibus annuntietur: nec aliud esse Christianæ fidei obiectum etiamsi semper non adiiciatur expresse verbum, Credite. Denique, si officio defunctus est, & ritè Cœnā celebrauit, qui fecit quod Christus fieri iussit, nec fidem in Cœnæ institutione ab accedentibus postulauit Christus, quo elencho dignè accedentes ab indignis discernemus? Iussit Deus suorum præputium circuncidi, neque expressit Circuncisionis cordis promissionem, an igitur nouacula, tam cor quàm præputium, videlicet absque fide, circunci- Ad secundam.

debat. Iohannes Baptista baptisauit in remissionem peccatorum, nec semper addit, Credite: Ergóne aqua Baptismi tam peccata quàm corpus sine fide abluebat? Quantò rectiùs Augusti. Crede, inquit, & manducasti, de hac ipsa Cœna Domini disserens. Ergo qui non credit, non manducat corpus nec bibit sanguinem, sed eorum duntaxat symbola, & quidem ad iudicium: non diiudicans corpus Domini.

Tertiò, dixi præberi, quibusuis accedentibus integrum Sacramentum. Respondet D. Andreas, *integrum Sacramentum ei non præberi, qui partem eius, eámque minimam, id est externa tãtùm symbola accipiat.* Immò, quid magis est ridiculum, quàm aut verbi aut Sacramentorum integritatem, non ex præbitione, sed ex receptione metiri? Quid enim obstat quominus quispiam cui integrum aliquid, etiam vnius & eiusdem manus instrumento sumendum traditur, partem tantùm accipiat, reliquum reiiciat? Multò magis quum duplici instrumento opus est, ad duas res diuersas recipiendas, quorum altero destituatur is cui duæ res illæ præbebantur. Sic in prædicatione Euangelij accidit, vt integrum Euangelium, verbum videlicet externum, & Christus, qui est eius verbi substantia, quibusuis auditoribus annũtietur, quorum alij totum illud respuunt, alij vocem audiunt & intelligunt, sed Christum, præcipuam Euãgelij partẽ, sua incredulitate respuunt: quibus propterea verbum illud vitę est odor mortis ad mortem: non quòd fuerit receptum, sed quòd incredulitate vel statim sit prorsus repudiatum, vel post leuem qualemcũque receptionem & degustationem, quasi vomitu reiectum: vt falsa sit prorsus & absurda quarta marginalis refutatio, nisi quum metonymia sacramentali, apud patres Christi vestigia sequutos, corporis id est rei significatæ appellatio, pani id est signo tribuitur: quo sensu scitè Augusti. Corpus Domini à corpore Domino distinxit.

Thesis VI. Vvirt.

De particulis IN, SVB, CVM pane, &c.

De vocabulis, substantialiter, corporaliter, realiter, oraliter, essentialiter, &c.

Per vocabula In, Cum, Sub pane: nihil aliud intelligimus nisi hoc: quod ij, qui in Cœna Dominica panem illum comedunt, et vinum bibunt, simul etiam sumant vera corpus et sanguinem Christi. Sic etiam vocabula substantialiter, corporaliter, realiter, essentialiter, oraliter, nihil aliud nobis, nisi veram corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna, præsentiam et manducationem significant.

Anti-

Antitheſis VI. Th. Bezæ.

Veteres quidem, ſcimus, illis etiam formulis vſos: at non vt ſubſtantia rerum ſignificatarum, [1]*In*, *Sub*, vel *Cum* ipſis ſignis [2]eodem loco adeſſe ſtatueretur: ſed vt reipſa fidei accedentium præberi tam verè corpus ipſum & ſanguinem Domini intelligeretur, quàm verè verba inſtitutionis pollicentur, & externa ſymbola ſenſibus accedētium teſtificantur. Quia tamen has formulas videmus [3]aliò iam pertrahi, nempè ad Realem illam [4]conſubſtantiationem: idcirco illas, vt periculoſas, & minus commodas, refugimus. Hæc autem vocabula: *Subſtantialiter*, *Corporaliter*, *Eſſentialiter*, [5]ſi ad res ipſas, quæ præbentur, referantur: recto ſenſu vſurpari agnoſcimus: non autem ſi ad ſacramentalem coniunctionem, ſiue ad præſentiæ modum accommodētur. [6]Realiter, etiam pro reuera & non ſimulatè, rectè dici fatemur: [7]nec tamen temerè illis vocibus vtendum exiſtimamus. [8]Oraliter autem, vt & ſenſu falſum, & forma barbarum: ſicut & illud Papiſticum [9](ſenſualiter) penitus repudiamus.

1. Iniquè ergo nobis illas obiiciunt aduerſarij, tanquam à nobis excogitatas: quū orthodoxa vetuſtas illis vſa ſit.

2. Poſſunt duo eodem loco adeſſe, quorum alterum tamen non phyſicè, aut localiter adit: ſicut Deus ipſe, & ſancti eodem loco adſunt: ille illocaliter, hi localiter. Vobis autem eodem loco adeſſe, & localiter adeſſe, æquipollētia ſunt: quod falſum eſt.

3. Non aliò, quàm ad veram & realem præſentiam trahuntur à nobis, quam illi ſub his particulis tradiderunt.

4. Non eſt conſubſtantiatio, ſed ſacramentalis & ſupernaturalis præſentia.

5. Nos non ad modum præſentiæ: ſed ad res ipſas referimus, quòd verè adſint. 6 Idem aſſerimus. 7. Cur? Niſi quoniam veſtro errori repugnant. 8. Oraliter, vt veſtra opinione barbarum: ſenſu tamen verum, pium, & verbo Chriſti conſentaneum, Manducate: quod ore fieri iuſſit. 9. Papiſtæ, quantumuis craſſi, illud ſenſualiter non aſſeruerunt.

Ad marginales refutationes.

Immò, nullus vos facit iſtarum phraſeon auctores, ſed à vobis illas aliò detorqueri dicimus. Nec enim veteres Patres, his phraſibus ipſa inſtitutionis verba explicant, ſed iis vtuntur vt ſacramentalium promiſſionum vim minimè vanam eſſe oſtendant, rariſſimè etiam addito verbo *Eſſe*. Ad primam.

Quid minus aptè dici hac obiectione potuit? Nec enim quæritur an vllæ duæ res vel plures eodem loco ſeſe poſſint contingere. Quis enim ita inſanit vt hoc neget, ſed illud quæritur, an verum & organicum corpus, quale ſemper fuit, eſt & erit Chriſti corpus, vſpiam, &, ſiue ſolum, ſiue cum pane, ſua eſſentia, (ſiue vt in ſcholis loquuntur, Actu primo) præſens adeſſe poſſit non localiter, ſiue non circūſcriptiuè, ſiue aliter quàm ipſius τὸ τί ἦν εἶναι Ad ſecundam.

necessariò & sine vllaexceptione requirit. Nobis igitur sanè, quũ de vero corpore Christi hîc agatur, *Eodem loco adesse*, & *Adesse localiter* æquipollent: quod quoties falsum esse dicit D. Andreas, toties falsum affirmat. Deinde quorsum istud sanctorum & Dei coëxistentium exemplum, nisi vt manifestissimè appareat, Humanitatem Christi ex hoc ipsius dogmate, in Deitatem manifestè transformari?

3. Immò, aliò prorsus illas phrases pertrahis, nempe ad essentialis simul & illocalis præsentiæ & oralis mãducationis stabiliendum falsissimum & ineptissimum commentum: quas Patres vsurparunt duntaxat vt cõiunctionis sacramentalis & spiritualis in Sacramentis perceptionis veritatem ostenderent.

4. Immò, qua rationis specie negare potest res illas Consubstantiari, quæ suis Essentiis re ipsa, simul non tantùm coniungi sed etiam vniri penè hypostaticè dicãtur, adeo quidem vt quum cæteræ latebræ desunt, tandem inter inusitatas enũtiationes hypostaticas, referantur etiam illę sacramentales, *Hoc est corpus meum*, & *Hoc est sanguis meus*?

5. Vultis ergo Substantias non substantiatorum modo: veras res corporeas & locatas, non corporis modo & localiter, sua tamen substantia verè in se corporea in terris adesse: & quidem tot in locis, & cum tot panibus, quibus Cœna Domini celebratur. Date igitur nobis veram substantiam non substantiam, &, verum corpus non corpus, siue ex naturę legibus, siue ex Dei verbo.

Realiter. 6. Immò ne in aduerbio quidem Realiter consentimus. Vos enim ad terram & ad Panem ac hominum cœnam celebrantium ora, realem illam, id est verã carnis Christi præsentiam refertis: quam nos, quod ad ipsam quidem rem attinet, nunc in cœlis, & nõ alibi sitam dicimus: quoad nos verò, menti & fidei verissimè & efficacissimè pręsentem esse, non tantùm in sacramentis, sed etiam in simplici verbo ex diuinis Scripturis profitemur.

7. Vestrum illud oraliter, si ad signorum manducationem, sicuti oportuit, restringeretis, vt oralis signorum manducatio à rerum significatarum spirituali perceptione distingueretur, barbariem nihil moraremur.

8. Immò verba hæc sunt, Nicolai Papæ, cap. Ego Ber. &c. De consec. distinct. 2. *Consentio Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedi, & ore ac corde profiteor, panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Chisti esse*: et SENSVALITER, non

Horenbeck. 2 18.

non ſolum Sacramentum, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, tangi &c. Quam horrendam & impiam, confeſſionem quum in Cõfeſſione maiore tam diſertè approbarit D. Lutherus (en quid faciat contentionis ſpiritus) vt Canoniſtas & gloſſam non minus quàm Schvvermeros quos appellat, grauiter eo nomine reprehenderit, quòd Nicolaum Papam reprehendãt, & optet omnes Papas tam Chriſtianè egiſſe quàm egit iſte Nicolaus cum Berengario in iſta confeſſione: D. Andream certè neceſſe eſt à Dn. Luthero diſſentire, vel apertè ad Papiſtarum caſtra tranſire, ſicut certè Conſubſtantiatio à Tranſſubſtantiatione tenuiſſimo filo diſtat, & in eoſdem falſitatis ſcopulos impingit.

Thesis VII. Vvirt.

Huius noſtræ fidei fundamenta hæc ſunt: Primum quidem verba Chriſti, Dei et hominis, qui in ſacra Cœna Dominicæ inſtitutione (panem diſcipulis ſuis porrigens) dixit: Edite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Et calicem vini exhibens, dixit: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur. Et Paulus de hoc Sacramento loquens, ait: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio *ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Chriſti eſt? In hoc primo fundamento verborum Teſtamenti Chriſti, etiam ſequentia comprehenduntur.*

Matth 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10.

Antith. VII. Th. Bezæ.

Abſit à nobis, vt verbis inſtitutionis Cœnæ Domini non acquieſcamus: tantùm illa ad Analogiam, & normam totius fidei Chriſtianæ, in Apoſtolico Symbolo fideliter comprehenſæ, neceſſariò, vt & cæteros, ſine vlla exceptione, locos Scripturæ, exigenda eſſe aſſerimus. [2] Quod ſi fiat: exiſtimamus illam ſignorum & corporis & ſanguinis Chriſti conſubſtantiationem, ab illa φετιχῆ, quam poſuimus, diuerſam, non modò non probari, ſed etiam manifeſtè, & neceſſariò euerti. [3] Calix certè benedictionis communicatio ſanguinis Chriſti, & panis quem frangimus, communicatio corporis Chriſti, ſine Tropo dici non poteſt.

1. Cùm ſine gloſſa verba Chriſti non recipiatis: manifeſtũ eſt, quòd in illis non acquieſcatis.

2. Nullam conſubſtantiationem nos ponere, ſuprà diximus. Relatiuam, tanquam nihil efficientem, repudiamus.

3. Tropum in verbis Pauli, tanquam Sacramenti euacuationem apertè damnamus.

Ad marginales refutationes.

1. Ridicula est ista connexio, nisi priùs ostenderit D. Andreas, vel nullam esse figuram, nullum Tropum in sacris literis qui interpretatione indigeat, vel institutionis verba nullũ Tropum admittere, vel falsam esse quam adferimus interpretationem.
2. Immò consubstantiatio, quînam aliter definiri potest in hoc argumento quàm Realis duarum essentiarum in terris, id est corporis In, Sub, vel Cum pane, & sanguinis In, Cum, vel Sub vino coniunctio, quantumuis alterius præsentiam, nec Physica, nec Localis statuatur? Deinde vt etiam Realem illam præsentiam D. Andreæ largiar, annon tamen aderũt panis & vinum vt præsentis corporis & sanguinis, rerum videlicet signatarum signa? Quænam autem potest esse signi ad signatum analogia nisi χετικὴ & relatiua?
3. Damnatis quidem, sed qua ratione? Num enim quæuis Tropica locutio falsa & damnanda?

Thesis VIII. Vvirt.

Secundum est: quod Christus, qui Deus est, mentiri nescit, Tit. 1. & quòd in ore eius non inuentus est dolus, 1. Pet. 1.

Antithesis VIII. Th. Bezæ.

1. Vos ita sentire non est mirandum: quum Tigurini pastores nobiscum de Cœna Domini recusent disputare, quamdiu Omnipotentiam pro fundamẽto fidei nostræ in hoc Mysterio, vnà cum verbis Cœnæ Domini ponimus.

Credimus & prædicamus verum esse, quod hic dicitis: sed ad id malè, de quo agitur, applicari affirmamus.

Ad marginales refutationes.

1. Mera & putidissima calumnia. Quînã enim vnquam charissimis nostris Tigurinis fratribus, quibuscum habemus cõmunem Helueticã confessionẽ, in mentẽ venerit Omnipotentiam, id est Deitatẽ τοῦ λόγου ὁμοουσίου, vel in simplici verbo, vel in Sacramentis, vel in vllo Christi opere, vt hîc dicitur, inficiari. Immò hæc ipsissima est D. Andreæ doctrina, quã ipse viderit quomodo ab impietate & blasphemia possit vendicare, totidem his verbis ab ipso scripta, *Diuinitas hominis non est illa ὁμοούσιος, & aterna cum Patre & Sancto*

Sancto Spiritu essentia communis, sed communicata à secunda hypostasi. Quod ne quis vt aduersus Sabellianos dictum interpretetur, hanc diuinitatem communicatam disertè vocat dona, in sanctis quidem dimensa, in Christo verò immensa: qua de re mox dicemus. Nos autem negauimus & negamus Omnipotentiam Dei rectè ad realem illam & essentialem humanitatis Christi in terris præsentiam, & oralem manducationem stabiliendam adhiberi.

Thesis IX. Vvirtem.

Tertium est: quòd Christus est Deus & homo, in vna inseparabili persona. Quare ei nihil est impossibile. Quæ enim impossibilia sunt apud homines: possibilia sunt apud Deum, inquit Christus, Luc.18. Et Angelus Gabriel inquit: Non erit impossibile apud Deum omne verbum, Luc.1. Et de Homine Christe inquit Ioannes: Sciebat Iesus, quòd omnia dedit ei pater in manus, Ioan.13. Et Scriptura testatur: Christum filium hominis collocatum esse ad dexteram Dei: quæ est infinita Dei potentia: & datam esse illi omnem potestatem in cœlo et in terra, Matth.28. Itaque Christus omnia, quæ promisit, præstare potest. Quum igitur verbis Testamenti sui promiserit, quòd Velit *nobis corpus suum manducandum, et sanguinem suum bibendum dare: et omnia quæ promisit, præstare* Possit: *certissimum est, quòd in sacra Cœna cum pane corpus Christi edamus, et cum vino sanguinem eius bibamus.*

Ephes.1. Heb.1. Psal.110.

Antithesis IX. Th. Beza.

Christo [1]Deo & Homini, nihil esse impossibile, & ipsi profitemur: sed ita, vt huius dicti interpretatio, & quod inde colligitur, ad fidei normam examinetur. Affirmamus ergo [2]primùm, istam Omnipotentiam vnicam esse, non autem duplicem, quarum vna sit increata, Deitati propria, & in nullam rem creatam transferenda: altera creata, quæ sit qualitas in Christi humanitatem infusa. Nec minùs falsum & absurdum esse dicimus, plures numero Omnipotentias, quàm plures numero Omnipotētes, id est, Deos

1. Deum absolutè, & similiter omnipotentem esse, non concedunt.

2. Verbum vnum monstrari in nostrorum scriptis non potest, quòd creatā Omnipotentiam vnquam docuerint. Est enim vna Omnipotentia, eáque æterna, & infinita: sed in Christo duplex eius ratio.

3. Humanitas Christi IN SE, hoc est, per se, Proprietate suæ naturæ non est Omnipotens: sed participatione personali Diuinæ Naturæ.

4. Homo in λόγῳ est Omnipotens: ambigua oratio, de qua suo loco plura.

5. Negatur, Deus absolutè Omnipotens.

6. Negant salua proprietate corporis Christi Deum sua Omnipotentia efficere posse, vt simul & semel sit in pluribus locis. Quod est apertè Omnipotentiam Dei negare.

7. Phantasia humana de imperio Christi super omnes cœlestes & terrestres creaturas, sine vera & reali præsentia eius.

8. In Deo posse esse, & esse, idem sunt: cuius virtutis caro Christi particeps facta est.

9. Hæc virtus quum sit infinita, humanam naturam eius participem factam esse negat. Ideò Spiritui sancto soli attribuunt, quod Christus suæ carni tribuit.

10. Huius virtutis participatione carnē Christi prorsus spoliāt: Quomodo ergo hæc vis ei tribuitur? 11. Hoc de physica & locali præsentia asserit Beza, quam nemo docet: ideo suum proprium figmentum oppugnat.

constituere. [3]Est igitur non Christi Humanitas in sese Omnipotens: [4]sed Christus homo in λόγῳ est Omnipotens: sicut Humanitas illa non est Deitas, sed homo ille est Deus λόγος. [5]Deinde Deum ipsum ita dicimus esse Omnipotētem, quòd ad potestatem per se consideratam attinet, vt tamen ea non possit *Actu*, quæ non facere decreuit: aut iis, quæ decreuit, contraria sunt. Ratio eius rei est, non quòd non sit Omnipotens: sed quia posse mutare voluntatem, ac proinde mutari, non esset potentiæ, sed infirmitatis, & eius, qui mentiri posset. [6]In his autem numeramus, corporis Christi immutabilem circunscriptionem & localitatem: quia Deus constituit, vt quod semel assumpsit, nunquam abolcat: quod fieret, si vel ante, vel post glorificationem, simul pluribus, nedum omnibus locis, corporis Christi substantia esse posset. [7]Tertiò negamus consequi, vt vbique sit ipsius Essentia, qui imperium in omnes res creatas accepit. [8]Aliud est enim de quopiam explicare quid possit, quàm quid sit in sese: quum in creaturis sine vlla prorsus exceptione aliud sit posse, quàm esse. His autem positis, nihilominus verum illud corpus, (quod nunc in cœlis est, & non alibi) in Cœna Domini ritè administrata, nobis, qui nunc in terris sumus, & non alibi, verissimè & efficacissimè per fidem sumendum, ad animæ & corporis salutem, [9]ineffabili illa Spiritus sancti virtute præberi affirmamus. Et hac ratione Christi Dei & Hominis [10]inexplicabilem illam vim multò expressiùs à nobis poni existimamus, quàm ab iis, qui existimant, non posse nos ipsi Christo consociari, [11]nisi & ipse in terris sua essentia adsit, pani & vino inseparabiliter adhærens.

Ad marginales refutationes.

Ad 1.5.6. Quis tandem erit nostra calumniandi finis? Annon verò centies milliès ad ista responsum est? Si non vult ad fidei normam D. An-

D.Andreas exigi Dei Omnipotētiam, ostendat igitur Deum posse non esse, falli, mutari, mentiri, atque adeò mori posse. Quòd si hæc falsa & impia sunt, quo pudore negari potest regulam aliquam ex Dei verbo tradēdam, qua falsitates istæ & blasphemiæ à veritate distinguantur? Respōdeat saltem pro nobis Augustinus. *Propterea Deus quædam non potest, quia Omnipotens est.* & Tertull. aduersus Praxeam Sabellianū, ex eo quod Deo nihil sit difficile, vt nec sterilem parere nec virginem, colligentem difficile etiam ipsi non fuisse ipsum Se & Filium facere, *Planè*, inquit, *Deo nihil difficile, sed si tam abruptè in præsumptionibus nostris, hac sententia vtamur, quiduis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideo quoque credendum est illum fecisse quod non fecerit, sed an fecerit requirendum. Hac ratione erit aliquid & difficile Deo: id scilicet quodcunque non fecerit, non quia non potuerit, sed quia noluerit. Dei enim Posse, Velle est: & Non posse, Nolle. Quod autem voluit, & potuit & ostendit.* Et nequis hic, ad illud Accipite, Comedite, vt de corpore in terris reipsa & essentialiter, non tamen secundum corporis modum præsente expositum recurrat: audiamus hac de re Cyrillum, *Christus*, inquit, *quum Spiritum immitteret Apostolis, non potuit cum eis carne conuersari, qui ad patrem ascendisset.* Carne, inquiet D.Andreas, id est Essentiali quidem & reali in terris præsentia, sed non physico nec locali modo. Sed quis istam glossam ferat? Istam enim Illocalitatem, non vt falsam redargueret Ascensus, præsertim ex D. Brentij sententia, sed potiùs confirmaret.

lib. de Ciuit. Dei. 5. cap. 10.

Et Vigilius totidē verbis Eutychetē iugulās, *Quia caro Christi in cœlo est, non est vtiq; in terra*: quē eruditissimū scriptorem & Martyrē quoties in suis prælectionibus D.Andreas *Dormilium* ausus est vocare, toties altissimo veterno se cōsopitum esse declarauit.

Non memini quidē legere in D.Andreæ, & ipsius sectatorum scriptis, hanc Omnipotentiam, quam Humanitati tribuunt esse creatam: sed ipsi perinde faciunt, ac si hominem à se dictum esse negarent, quem tamen fateantur esse animal rationis particeps. Ecce enim totidem hæc D.Brentij verba, *Non potest hac ratione inter Christum & Petrum discrimen constitui, vt dicamus Christum Hominem esse Deum, non dicamus Petrum esse Deum*: Et an hoc non est aliquid etiam Arrianismo deterius? Agnoscebat enim Arrius Christum Deum esse ὁμωνύμως, non Petrum: & quid aliud Nestorius ex inferis emersus euomeret? Et mox. *Ex isto Euangelij dicto, Verbum caro factum est, quod de Christo dicitur non de Petro, discri-*

2.

pag. recognit. 46.

men Christi & Petri eo statuendum est, quòd Filius Dei sua essentia implet hominem Petrum, vt & hominem Christum, non tamen communicat Petro omnes suas proprietates, sed tantùm nonnullas. Item, *Vt in Christo Diuinitas tota inhabitat secundum Essentiam, Potentiam & Præsentiam, sic tota inhabitat in Petro.* Sed & ipse D. Andreas, *inter inhabitationem Dei in sanctis et in Christo,* (inquit) *VNVM est discrimen, quòd Sanctis distribuat sua dona dimẽsa, Christo verò immensa.* Cedò igitur, proprietates istæ communes Christo & sanctis, aut sunt Essentia ipsa Dei, aut qualitates creatæ. Si Essentia Dei, consequetur Christum quidem esse penitus Deum, Sanctos autem aliquatenus Deos: sin creatæ sunt qualitates, Potentia quidem Christi erit Omnipotentia creata simul & immensa: quod hîc falsò negauit & à se & à suis dici D. Andreas. Sanctorum autem fuerit potentia quoque creata, sed dimensa & imperfecta: Omnes enim & immensæ proprietates, à Nonnullis & Dimensis, non toto genere, sed secundum plùs & minùs differant necesse est. Idem de inhabitatione statuendum est: quæ quum sit ἐνεργητικὴ in Sanctis, ac proinde creatorum donorum causa efficiens, eadem quoque in Christo statuetur. At longè aliter Paulus, qui de Christi persona loquens, non θειότητος sed θεότητος vocabulo vsus est, & addidit σωματικῶς, id est ὑποστατικῶς & καθ' ὑπόστασιν. Sed quid D. Andreæ præterea facias, auso etiam affirmare hominem Christum non istud modò cum omnibus Sanctis habere commune, quòd cum eo Deus personaliter fuerit vnitus, sed etiam (qua voce nihil horribilius vnquam euomuerunt Manichæi) res omnes Subsistentialiter à Deo sustentari?

In Apologia aduersus theses Ingolstadianas.

3. Meræ præstigiæ. Nam, *In Sese* nihil aliud significare potest, quàm subiectiuè, vt in scholis loquuntur: id est ita, vt hæc Omnipotentia, Humanitati vt in subiecto [redacted] insit. Atqui paulò antè euicimus eam à D. Brentio & D. Andrea necessariò statui creatam qualitatem: quæ si non inest Humanitati, ergo Deitati, id est, ipsi τῷ λόγῳ inest, (quo nihil absurdius dici potest) aut Christo prorsus non inest. Quòd si est Essentialis & increata, ipsáque adeo diuina Essentia: sicut ὁ λόγος nõ accidit assumptæ Humanitati, sed ei vnitur hypostaticè, certè non alia ratione Omnipotens fuerit hic homo, quàm quatenus est Deus, ac proinde non καθ' αὐτὸ, sed κατ' ἄλλο. Et quum in hypostatica vnione, saluæ maneant Proprietates vtriusque naturæ, sua subiecta nunquam egredientes: abstractæ autem voces declarent naturas quales sunt in sese, siue καθ' ἑαυτὰς, & ex naturæ suæ proprietate: necessariò

ceſſariò efficitur Humanitatem aſſumptam, neque καθ' ἑαυτὴν, neque κατ' ἄλλο Omnipotentem dici poſſe: ac proinde totam iſtam perſonalem diuinæ naturæ participationem quam antea Vbiquitarij realem effuſionem vocabant, abſurdiſſimum eſſe commentum, ex Monothelitarum lacunis ad fucandam Vbiquitatis laruam hauſtum. Quam abſurditatem animaduertentes quoque Scholaſtici, rectè & eruditè negarunt diuinam Omnipotentiam vlli creaturæ communicari poſſe, & in animo Chriſti neque creaturarum neque propriæ voluntatis, nec proprij corporis reſpectu, fuiſſe Omnipotentiam: ſed duntaxat Omnipotentiæ inſtrumẽtum, licet perſonaliter vnitum. Vis autem inſtrumẽto vtentis, & vis ipſius inſtrumenti, duæ ſunt numero vires, non vna inſtrumento communicata.

Immò nulla hic ambiguitas. Nam qua ratione Homo ille eſt 4.
Deus, eadem ratione eſt perſpicuè & manifeſtè Omnipotens: per Vnitatem perſonæ videlicet: vt Humanitas ſicut per hanc ſui Vnitionem cum λόγῳ non euaſit Deitas, ita etiam non minùs abſurdè dicitur vllo modo Omnipotens, quàm ſi Corpus diceretur intelligere & ratiocinari, propter animam ipſi hypoſtaticè vnitam.

Ludit D. Andreas in Chriſti nomine, quo Perſona ſiue Totus 7.
Chriſtus deſignatur, quum hîc de Humanitate ipſius, licet non ſeparatim, diſtinctè tamen conſiderata, agatur: quam opinari, vel fuiſſe in cœlis, quum eſſet in terris, vel quum nunc in cœlis ſit, præſentem eſſe corporea illa ſua Eſſentia in terris, mera eſt Eutychiana blaſphemia: qua de re Cyrillus, *Poſſe implere omnia, & tranſire per omnia, & ſequi in omnibus, non eſt alteri naturæ quàm Diuinæ concedendum.* Et Vigilius, *Vnus & idem Chriſtus vtriuſque eſt naturæ, & quidem Vbique ſecundum naturam diuinitatis ſuæ, & loco contentus ſecundum naturam humanitatis ſuæ. Hæc eſt fides & confeſsio Catholica quam Apoſtoli tradiderunt, martyres roborauerunt.* Et Tertul. *Vbique inuocatum adeſſe, non hominis natura eſt, ſed Dei, vt adeſſe omni loco poſsit.* Idẽ Vigilius, *Quando caro fuit in terra, non fuit in cœlo, & nunc quæ in cœlo eſt, non eſt vtique in terra, quum è cœlo ventura ſperetur.* Et Auguſt. *Donec finiatur ſeculum, ſurſum erit Dominus, cuius corpus in quo reſurrexit vno loco eſſe oportet.* Et Fulgent. *Chriſtus ſecundum humanam ſubſtantiam abfuit cœlo, quum eſſet in terra, & dereliquit terram quum aſcenderet cœlum,* vt alia teſtimonia millies repoſita, nunquam refutata præteream.

De Deitate, nulla inter nos controuerſia eſt. Quæ verò pro- 8.

pria sunt Deitatis de Humanitate nō dici, vt nec vicissim de Deitate quæ sunt Humanitatis propria, nunquam est ab Orthodoxis dubitatum.

Quum Spiritus Sanctus sit Essentialis virtus Patris & Filij, non adimitur Christo quod tribuitur Spiritui Sancto: Et Christum hoc suo Spiritu Humanitatem suam sanctificasse, & hanc Humanitatem à Patre vnctam esse (quatenus hic Spiritus ab vtraque Persona procedit, qua etiam ratione dicitur Deus illi Spiritum suum dedisse, & quidem non ad mensuram) testata est sensibiliter historia ipsius Baptismi, sicut expressis verbis prædixerat antea Isaias. Videat ergo hoc loco D. Andreas ne in mysterio quoque Trinitatis parum sit eruditus. Carni verò Christi tribuere, quod est diuinæ naturæ proprium, nusquam ex Sacris literis didicit D. Andreas, sed vt naturas sine separatione aduersus Nestorium, ita etiam illarum & proprietates & operationes omnes esse aduersus Eutychem distinguendas.

10. Immò non spoliat hominem Dei virtute qui nusquam illum à Deo λόγῳ separat: sed naturas cum Eutychete confundit qui Deitatis λόγῳ actiones proprias humanitati, quantumuis vnitæ & glorificatæ, tribuit.

11. Respondeat August. de ipso Christi corpore glorificato diserens. *Spatia locorum tolle corporibus, & nusquā erunt, & si nusquam, ergo nec erunt.* Et alibi, *Si corpus, ergo in loco.*

Thesis X. Vvirt.

De modo præsentiæ & manducationis corporis Christi, non disputandum.

Modus autem, Quomodo *in sacra Cœna cum pane & vino, digni et indigni sumant corpus et sanguinem* Domini *in S. literis non exprimitur. Quare de* Modo *tantùm hoc dicere possumus: eum esse supernaturalem, et rationi humanæ incomprehensibilem: ideóque de eo non disputandum. Deus enim plures rationes et modos (pro sua immensa sapientia, et Omnipotentia) inuenire potest, quibus efficiat, vt corpus et sanguis Christi alicubi sint, et vescentibus exhibeantur, quam duntaxat Physicum et naturalem modum, quem sola humana ratio intelligit. Itaque in hoc diuino Mysterio rationem nostram captiuam ducimus, et simplici fide verbis Christi (Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus) sana et tranquilla conscientia innitimur.*

Anti-

Antitheſis X. Th. Bezæ.

'Modum, quo res ſignificata ex diuina ordinatione cum ſignis coniungitur, ipſa ſignorum appellatio explicat, & oſtendit eſse Relatiuum ex Dei pacto: [2]quod & in ipſis cõtractibus humanis & ordinariis locum habet. Modum autem perceptionis rei ſignificatæ, ſiue quî fieri poſſit, vt corpus illud in cœlo manens, nobis in terra poſitis, [3]inſtrumentalis cauſæ, nempe fidei interuentu communicetur, adeo efficaciter, vt vitam æternã inde hauſturi ſimus, & ſpiritualia tot beneficia iam nunc percipiamus: verè myſterium magnum eſse, cum Apoſtolo profitemur, ac proinde credendum, & adorandum, non perſcrutandum. At enim ſi verum eſt, reipſa carnis & ſanguinis Chriſti eſsentiam, cum pane & vino in terris adeſse, & ab omnibus accedentibus, quamuis inuiſibiliter, tamen eãdem & vnica orali ſumptione percipi: [4]non videmus quînam modus iſte dici poſſit inſcrutabilis, quum merè ſit naturalis, & tum ſignis, tum ſignificatis communis.

1. Modus relatiuus hic eſt phantaſia humana, ad tegendum errorem excogitata. Nulla enim hic relatio: ſed ſpiritualium per corporalia vera & realis exhibitio inſtituta eſt.

2. Ingens diſcrimen inter ciuiles contractus, & Sacramenta Euãgelica.

3. Maiorem potentiam fidei, quàm Chriſto tribuunt: quòd illa ad Chriſtum in cœlum aſcendere: hic verò per ſuam Diuinam virtutem participatam in terris adeſſe non poſſit.

4. Imò manifeſtum eſt, quia non ſit phyſico & naturali modo.

Ad marginales refutationes.

Imò ipſe D. Andreas Actorum ab ipſo editorum pag. 94. faſsus eſt Sacramentum duabus rebus conſtare, terrena videlicet, vt ſigno, & cœleſti, vt ſignato. Sed & idem D. Andreas eorundem Actorum pag. 28. contendit oralem manducationem corporis Chriſti, inſtitutam eſse ad confirmationem manducationis Spiritualis per fidem. Quînam id verò niſi relationis Analogia? Nam & ipſi ritus Sacramẽtales ſigna ſunt, vt Auguſt. epiſt. 23. *Si Sacramẽta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent.* Concedere igitur Signum & Signatum, & negare χέσιν & relationem Signi & Signati, tam eſt manifeſta inſania, quàm inficiari quod affirmes: eiuſdemque eſt erroris veram exhibitionem rei ſignificatæ ſiue hîc in terris præſentis, ſiue abſentis, χέσει, ſiue relationi opponere: quaſi vna per alteram tollatur, quum è contrario vna alteri ſubordinetur. 1.

2. Longè maximum certè discrimen est inter ciuiles contractus & Sacramenta Euangelica, sed in rebus ipsis, non autem in eo positum, quod vtrobique signa & res signatæ adhibẽtur. Et rectè August. Epist. 5 inquit, *quum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Sic plurimùm interest inter eum qui terrena, & eum qui cœlestia loquitur, sed neuter ab altero ipsa loquendi actione differt, quum vterque lingua loquatur, & sæpe etiam iisdem vocabulis: hic quidem ad res cœlestes, ille verò ad res terrenas significandas vtatur. Nec ignorat D. Andreas hæc aurea Bernardi verba, *Multa fiũt propter se tãtùm: alia verò propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa & sunt. Vt enim de vsualibus sumamus exemplum, datur annulus absolutè propter annulum & nulla est significatio: datur ad inuestiendum de hæreditate aliqua & signum est, ita vt iam dicere possit qui accipit, annulus nõ valet quidquam, sed hæreditas est, quam quærebam. In hunc itaque* modum *passioni appropians Dominus, de gratia sua inuestire curauit suos, vt inuisibilis gratia, signo aliquo præstaretur*, Hæc ille, alia præterea signorum eiusdem generis exempla, putà, libri, baculi, annuli, proferẽs. Ex quibus apparet inter humanitus & diuinitus instituta signa non esse ponendum discrimen in eo quòd signa sint, sed in eo quòd diuersissimæ sint res significatę, siue præsentes siue absentes statuantur.

3. Immò hic calũniatur D. Andreas. Nec enim præbitionem & coniunctionem Sacramentalem à fide cuiusquam suspẽdimus, vt qui fateamur integra Sacramenta semper, quibusuis accedentibus, prout ordinatio diuina testatur præberi. Sed perceptionem demum rei significatæ, & cum signis illis corporalibus Spiritualiter præbitæ, fidei, vt vnico ad recipiendum & nobis applicandum Christum idoneo & efficaci ex fidei formula instrumento, tribuimus. Præterea istam fidei in amplectendo Christo efficacitatem, non à sese, sed à Christi nobis illam donantis, & illam sic efficacem reddentis Spiritu & virtute proficisci ex Dei verbo docemus: vt penes Deum patrem, Filium & Spiritum Sanctum in solidum nostræ salutis laus omnis & gloria tribuatur. Penes patrem videlicet, vt qui nobis Filium dederit, penes Filium qui nostra est Iustitia & Redemptio, penes Spiritũ Sanctum ab illo vtroque procedentem & in omnem veritatem nos introducẽtem. Christi verò, neque vt Dei Omnipotentiæ, neque vt Hominis (omnia sibi subiecta eo excepto qui omnia ei subiecit) habentis, potentiæ quicquam derogat, qui contradictoria ipsum simul posse facere, id est, mentiri posse, negat.

Si

Si nõ physico modo, ergo non orali: aut nos doceat D. Andreas oris actionem in manducando & bibendo physicam non esse. 4.

SEQVENTIA DOGMATA CVM SCRIPTVRA SACRA PVGNARE iudicant Doctores Vvirtembergici.

Dogma I.

QVòd verba Testamenti Iesu Christi non simpliciter, vel κατὰ τὸ ῥητὸν, vt sonant, intelligenda sint. Ea enim obscura esse: ideóque verum eorum sensum ex aliis Scripturæ locis petendum.

AD DOGMATA, QVÆ DOMINI COLLOCVTORES CVM S. SCRIPTVRA pugnare iudicant, D. Bezæ & ipsius collegarum responsum.

Ad I. Dogma.

1 NOs contrà existimamus, verba institutionis Domini, vt & omnium, sine vlla exceptione, Scripturæ locorum interpretationem ad normam fidei in symbolo Apostolico comprehensæ, vt suprà dictum est, reuocari, & ex collatione Scripturarum explicari debere, 2 neque κατὰ τὸ ῥητὸν accipi, salua fidei analogia, posse: vel propterea obscuram censeri debere Cœnæ Dominicæ institutionem, quòd tropus in ea inesse dicatur.

1. Obscura loca indigẽt tali illustratione. Sed verba Cœnæ Domini sunt aperta, & clara.

2. Simpliciter falsum est, sicut collatio sequens docet.

Ad marginales refutationes.

Satis sanè sunt aperta si Sacramentalem institutionem phrasi Sacramentis vsitata nobiscum, id est verba secundum subiectam materiam intelligas. Sin minus, sicut Arrianos suum illud, Pater maior me est, & Anthropomorphitas, Manus tuæ fecerunt me, vt

apertissima pro se verba citantes, & cæterorum ferè omnium hæreticorum impias interpretationes, patres ea ratione refutarunt, quòd in analogiam capitum fidei Christianæ peccarent: ita & nos, quot testimoniis probatur veritas corporis Christi perpetua, ac proinde circumscriptio & localitas, itidémque Ascensio in cœlos, & Reuersio è cœlis, tot inuictis argumentis literalem interpretationem institutionis Cœnæ Domini coarguimus in Subiecti & prædicati attributione.

Dogma II.

Quòd in sacra Cœna tantùm panis & vinum ore accipiantur: Corpus verò Christi spiritualiter duntaxat, Fide *nimirum, sumatur. Fide enim in cœlum ascendendum, vt ibi corporis & sanguinis Christi participes fiamus: quia Christi corpus post ascensum in cœlos, ante nouissimum diem nusquam nisi in cœlo sit.*

Ad II. dogma.

1. Nihil omnino probatum esse, ex verbis Christi demonstratum est.

[1] Satis videmur, nos probasse, quod hîc improbatur.

Ad marginalem refutationem.

Puerilis petitio principij. Controuertitur enim de verborum Christi interpretatione, quam nos vt falsissimam ex analogia fidei, & aliorum Scripturæ locorum collatione oppugnamus. D. Andreas verò quasi veram assumit. Num verò Christus Cœnam instituens sibi ipsi, Angelis suis, Apostolis Petro & Paulo, toti denique veteri futuræ Orthodoxæ Ecclesiæ contradicere voluit? Iubet enim ipse in illa sacra Actione celebrari suæ mortis memoriam donec veniat. Num verò *Venire* idem declarat atque ex Inuisibili fieri conspicuum, ex illocali, localem, aut venturus est qui iam adest? Angeli verò Apostolos sursum Dominum ascendentem oculis secutos non monent vt deinceps non in cœlis (quò defixos tenebant oculos) sed in terris illud corpus quærant definitiuè vel repletiuè, vt scribit D. Lutherus, vel omnimaiestatico aliquo modo præsens quærant: sed Sursum verè abiisse docent, inde nonnisi constituto tempore sicuti ascenderat reuersurum. Petrus verò, *Oportet*, inquit, *vt illum recipiant Cœli vsque ad tempora instaurationis omnium*, Quem locum quàm absurdo glossemate deprauent, qui pro, *Cœlo recipi*, interpretantur, *Cœlum*, (id est gloriam cœlestem) recr-

recipere vel ex eo patet, quòd si ita esset, nullo modo conueniret addita restrictio, vsque ad tempora instaurationis omnium, quum tunc maximè sit conspicua futura cœlestis Christi gloria. Paulus autem, *Peregrè*, inquit, *absumus à Domino*, &, *Cupio emigrare & esse cum Christo*. Et August. *Videte ascendentem, credite in absentem, sperate in venientem, sed tamen per misericordiam occultam etiam sentite præsentem, nempe*, vt inquit alibi, *secũdum Diuinitatem*. Idem, *Respondebit aliquis, quomodo tenebo absentem? quomodo in cœlum manum mittam vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte & tenuisti. Parentes tui temerũt carne, tu tene corde: & præsens & absens est Christus, nisi enim præsens esset, à nobis teneri non posset. Et abiit, & hîc est: corpus suum tulit Cœlo, Maiestatem suam id est Diuinitatem non abstulit mundo.*

Ignatius, *Quadraginta dies cum Apostolis conuersatus assumptus est in sedem paternæ dextræ, vbi tam permanet, donec aduersarij ipsius subiciantur pedibus ipsius.* Et Iustinus, *Quòd autem Christum à mortuis excitatum Deus pater omnium esset in cœlum adducturus, & ibi eum detenturus donec dæmones ipsius hostes percussérit, audite verba ista Dauidis Psal.* 110. *Dixit Dominus Domino meo.*

Dogma III.

Deum enim ne vniuersa quidem sua Omnipotentia efficere posse, vt corpus Christi, vno eodemq; tempore in pluribus quàm vno tantum loco, sit præsens.

Ad III. Dogma.

[1]Quînam non desinat Deus esse Omnipotens, etiamsi efficere non possit, vt Christi corpus vno eodémque tempore pluribus locis essentialiter præsens sit, aut vt alibi nunc sit, quàm in cœlis, diximus ad 9. Antheſin.

1. Aperta negatio omnipotentiæ Dei: Quia apud Deum non est impossibile VLLVM VERBVM, hoc est, vlla res. Luc. 1.

Ad marginalem refutationem.

Ad impuram non minùs quàm impudentem istam calumniam, Vide responsionem ad primam, quintam, & sextam refutationem Antitheſis nonæ.

Dogma IIII.

Itaque nobis in Sacramento Eucharistiæ corpus Christi non magis in terris præsens esse, quàm olim Abrahæ fuerit.

Ad IIII. Dogma.

Christum Deum & Hominem, vt qui Mediator alioqui esse nō potuerit, fatemur quidem [1]actu non fuisse hominem ante realem incarnationem: sed tamen fidei Abrahami, (quæ dicitur [2]ὑπόστασις rerum quæ non sunt) non illusoria opinione, [3]sed verè & efficaciter, vt & cæteris sanctis patribus, præsentem fuisse docemus. Vidit enim Abraham diem illum Domini: nec [4]alius fuit numero Christus venturus, quod ad fidem patrum attinet, quàm nobis Christus, qui venit. Vnde meritò Augustinus asseruit: veterum Sacramenta, [5]re paria fuisse nostris, signis autem diuersa.

1. Alia præsentia Christi hominis tempore Abrahæ: & alia eiusdem præsentia in N. Testamento post incarnationem factam.

2. Paulus non dicit, quòd fides sit ὑπόστασις rerum quæ non sunt, Heb. 11. sed rerum sperandarum, & non apparentium.

3. Beneficiorum Christi patres fuerunt participes: sed Christum secundum humanitatem præsentem non habuerunt, quem venturum crediderunt.

4. Fuit sanè idem Christus: sed non vtrisque pari ratione præsens.

Tract 26. in Ioan.

5. Respectu finis & virtutis: sed non præsentia Christi secundum humanitatem pari.

Ad marginales refutationes.

1. Immò in re quidem ipsa, id est Christi humanitate, temporis circunstantia magnum constituit discrimen, vtpote quæ Patrum temporibus nondum actu existeret? Sed quatenus Patribus & in verbo & in Sacramentis veteris fœderis ventura, iam tum per fidem fruenda præbebatur, & nobis nunc vt iam exhibita in Noui fœderis verbo & Sacramentis præbetur, idem vtrobique est Christus: eadem signorum, quanuis diuersorum & imparium, & rei significatæ, (id est Christi etiam vt hominis) coniunctio Sacramentalis: eadem quoque perceptio, nempe Spiritualis & per fidem: eadem quoque vtrorúmque, nempe & patrum & nostra fides, in eiusdem Christi humanitatem, quamuis in sese Patrum temporibus nondum existentem, tamen illorum vt & nostræ fidei præsentissimam, respiciens, vt rectè prorsus Augustin. Veterum & nostra Sacramenta signis esse diuersa, re verò paria, dixerit. Et vt norit D. Andreas vanam esse distinctionē quam addit, quasi beneficiorum & virtutis Christi duntaxat participes fuerint veteres, extra ipsius Christi carnem, vtpote actu nondum existentem, consideret velim, quum beneficia illa Christi, fructus videlicet mortis, & omnis obedientiæ ipsius, pendeant ab iis quæ nostri causa præstitit: annon æquè absurdum sit Patres facere participes beneficiorum & virtu-

virtutis sacrificij Christi, quod tamen nondum erat re ipsa oblatum, atque absurdum illi videtur quod affirmo, Patres videlicet ipsius quoque humanitatis Christi, quanuis nondum actu existentis, factos fuisse participes. Quòd si absurditas illa nullius est ponderis, quoniã sacrificium illud, etsi nondum extans, reipsa in sese, Deus tamen pater, cui futura quæ decreuit iam præsentia sunt, & Patrum fides illud quasi iam præsens intuebantur, curnam de ipsa Filij Dei incarnatione idem non statuemus? Verum est enim omnino quod ait Vigilius, *Nec thesaurum hunc sine agro, nec agrum hunc sine thesauro posse ab aliquo possideri.* Itaque nec vidit Abraham oculis fidei diem Domini absque ipso Domino, nec dicit Paulus, eãdem illam escam, & eundem illum potum fuisse beneficia Christi, sed ipsum Christum, & quidem totũ. Nec enim illos Filius Dei aliter quàm incarnatus seruasset. *Spiritualem enim escam manducabant,* (inquit August. tract. in Ioan. 26.) *vtique eandem: nam corporalem alteram: quia illi manna, nos aliud: & omnes eundem potum spiritualem biberunt: Aliud illi, aliud nos: sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spiritali. Quomodo enim eundem potum? Bibebant,* inquit, *de spiritali sequente Petra, Petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo & in carne.* D. autem Andream minimè miror in veterum Sacramẽtis beneficia Christi ab ipso Christo separate, quasi hæc absque illo percipi possint, quum in Euangelij verbo simplici eundem errorem admittat, carnis & sanguinis voces in Spiritali manducatione cap. Iohan. 6. figuratè accipiens, pro solis beneficiis à Christo per ipsius carnem nobis præstitis: contra ipsius quidem Christi verba, qui panem siue cibum illum explicans, de quo antea disseruerat, & quænam esset illa caro quam spiritualiter comedi iusserat, exponens, *Panis,* inquit, *quem ego dabo caro mea est,* ipsissimam certè essentialem illam designans quam in Cruce pro nobis obtulit, quod disertis etiam verbis affirmãt, tum de verbo simplici, tum de Baptismo, Origen. in Num. homil. 16, & Hieronym. super Ecclesiasten. Et Aug. non semel verbum simplex Sacramentis exæquat. Quid amplius? Si nobis nõ credit D. Andreas, credat Sueuico Syntagmati, id est ipsi D. Brentio nondum Vbiquitario, cuius hæc verba sunt. *Remotus quidem erat agni paschalis tempore Christus ab auribus & ab oculis carnalibus, præsentissimus tamen erat fidei, quæ motis alis suis ex hoc mundo in Spiritualem transuolat, ac pro natura visus Dei, qnæ Christi sunt videbat. Sic enim Deus omnia etiam futura sibi præsentia videt: ita fides rem longissimè pro mundi captu positam sibi*

Verdel. 134
Macco 110
Timpt. 363
Marcel 58

præsentißimam facit & videt. Nec tamen ignoro eundem D. Brentium postea inter Patres & nos hoc discrimen constituere, quòd illis quidem Spiritum verbi, qui Patribus præsentem Christum exhibuerit in promissionibus, nobis autem præterea literam tribuit, qua corpus Christi & sanguis nobis præsentia exhibentur. Quasi verò literam etiam suam Patres nõ habuerint: quod tamen discrimen si ad id refert quod ait August. *clariora videlicet & augustiora esse nostra Sacramenta:* & intra præsentiam fidei se continet, ne in hoc quidem à bonis tum dissenti.

2. Non scripsit quidem Apostolus, Fidem esse ὑπόστασιν rerum quæ non sunt, sed rerum quæ sperantur. Sed ita significari res nondum existentes, sed à Patribus speratas, quia creditas, manifestè liquet, tum ex antithesi hypostaseως, qua res iam subsistẽtes declarantur, tum ex illius fidei patrum exemplis.

Dogma V.

In sacra Cœna duntaxat virtutem, operationem, & meritum absentis corporis & sanguinis Christi dispensari.

Ad V. Dogma.

1. Christus non MENTI solùm: sed ori corporis suam carnem & sanguinem sumenda in Sacramento offert & præbet, siue quis verè credat, vel non credat.

Tantum abest vt Christi virtutem, & beneficia in *Cœna Domini* ab ipsiusmet Christi communicatione separemus, vt cõtrà in verbo quoque simplici & in Baptismo, hæc vtraque inseparabiliter coniungi, & Menti per fidem sumenda præberi, asseramus.

Ad marginalem refutationem.

Vide responsionem ad refutationem tertiam Antithesis proximè præcedentis nostræ quartæ.

Dogma VI.

Quòd inter indignè manducantes, & iudicium è Cœnæ Domini perceptione sibi sumentes, numerentur etiam ij, qui aliqua fidei imbecillitate, aut aliis infirmitatibus laborant: quum tamen veram fidem habeant.

Ad VI. Dogma.

Nunquam nobis in mentem venit, vt perfectam fidem in quoquã statueremus: quum hæc perfectio stare cum carnis reliquiis nequeat,

queat: tantum abeſt, vt veram fidem à perfecta non diſtinguamus, aut à Cœna arceamus iſta fidei imbecillitate laborantes: quam potius idcirco inſtitutam eſſe dicimus, vt in fide confirmemur, & augeamur.[1]

1 Cur igitur duo genera indignorum facitis: & credentes verè etiam iudicium ſumere aſſeritis?

Ad refutationem marginalem.

Aliud eſt imbecillitate fidei laborare, à qua nemo mortalium eximitur (vtpote quos omnes quotidie precari oporteat ne in tentationem inducantur) quàm indignè ad mēſam Domini accedere: Indignè verò accedentium rurſus non vnū gradū meritò facimus. Nam alij ſunt prorſus impij & Epicurei, alij fide tantùm hiſtorica præditi, grauiſſimis peccatis laborantes, & pœnitentiam nihil curantes, quos certum eſt exitium ſibi accerſere Sacramentorum profanatione, quæ in ipſius Chriſti indigniſſimum contemptum redundat. Alij vera fide non ſunt deſtituti, ſed de præparatione animi non cogitant, fratribus quos offenderunt non reconciliantur, viuunt denique diſſolutiùs quàm oporteat, quos dicere nolimus exitium ſibi accerſere, nec aliud quàm ſacra Symbola vt priores illos, ſumere, ſed tamen correptionem mereri, quales erant Corinthij, quos admonens Paulus, probabiliter certè neque Epicureos, neque prophanos, neque fide ſola hiſtorica præditos, *Probet*, inquit, *vnuſquiſque ſeipſum*: &, *propter ea multi inter vos dormiunt.*

Dogma VII.

Quòd quidam (non ſine horribili blaſphemia) affirmant: ex manducatione ſacramentali ſequi, corpus Chriſti in ventriculum traijci, & ibi concoqui, vel non concoqui: indéque tandem adeo vel excerni vel non excerni: & ſi quæ ſunt ſimilia, auditu horrenda, & Chriſtianis hominibus indigna, vel dicta, vel ſcripta.

Theodor. Beza in reſponſione 2. Theolog. tractationum Pag. 450.

Ad VII. Dogma.

Facilè credimus, neque Tranſſubſtantiationis, neque Conſubſtantiationis defenſoribus in mentem veniſſe, vt hæc portenta affirmarent: ſed videre nos non poſſe fatemur, quīnam hæc, quantumuis abſurda, falſa, & blaſphema, neceſſariò non conſequantur oralem illam manducationem: [1]niſi conſtitue-

1. Horrendum auditu: ſi corpus Chriſti cum pane ore accipiatur, idē etiam per ſeceſſum excerni.

re malint, Christi carnis & sanguinis substantiam, vbi dentes & palatum traiecerint, euanescere. Quod tamen bona omnium pace dictum volumus.

Ad marginalem refutationem.

Quod ait D. Andreas hæc à me Beza colligi quasi Sacramentalem manducationem sequantur, miror quo pudore scripserit. Num enim ego Sacramentalem manducationem inficior? Non igitur ex vera Sacramentali coniunctione & manducatione, sed ista ex illa Essentiali Consubstantiatione & orali manducatione, dixi & dico, non minùs necessario, quàm ex Papistica Transsubstantione sequi, nisi, quemadmodum Transsubstantiatores ad corporis & sanguinis Domini cum speciebus desinentibus disparitionē, refugiunt: sic ipsi suam illam Essentiarum penè hypostaticam vnitionem, & oralem manducationem, ipso in os ingressu terminent: vt solus panis dentibus atteratur, & in ventriculum traiiciatur, corpus autem & sanguis Domini repentè sese ex manducantium ore & dentibus subducant. Sunt autem illa quidem sanè horrenda dictu, sicut rectè iudicat D. Andreas, ista verò valde absurda. Sed quid agas? detestentur igitur illa, vt & nos, ex quibus necessariò consequuntur: aut nos doceant, quînam, posito antecedente, non ponatur quod necessariò cohæret. Confugiet fortasse D. Andreas ad id quod scripsit in nostram antithesin secundam, refutatione secunda, nempe quod corporis Christi quantumuis essentialiter in terris cum pane reipsa præsentis & ore manducati ratio sit in hoc mysterio spiritualis, quam Capernaiticæ opponit. At enim hoc dato, quum in corpus, ratione corporis spoliatum non cadat alimoniæ corporalis ratio quid fiet, præcipua Sacramentali analogia inter corporalem huius vitæ, & Spiritualem alterius vitæ alimoniam posita. Quòd si vt antea D. Andreas contendit, refutatione 1. ad nostram 1. Antithesin, ideo instituta est oralis manducatio corporis Christi, vt Spiritualis per fidem manducatio per eam confirmetur, nullus est autem manducationis fructus absque rei manducatæ alimonia, viderit quînam non cogatur, vt manducationem ipsius corporis Christi quæ fit ore, sic etiam eiusdem cōcoctionem & alimoniam, quæ fiat in ventriculo, constituere, qua Spiritualis, quæ per fidem fiat alimonia, sanciatur. Quod si ita est, & horrēdum est istam concoctionem corporis Christi, & alimoniam aliquam inde nascētem corporalem statuere, cur non omnia hæc portenta semel omnes

vno

vno conſenſu deteſtantes, Gloriam damus Deo, & pacem Eccleſiis reddimus?

SCRIPTVM D. BEZÆ, IN QVO IPSIVS ET COLLEGARVM EIVS Confeſſio de Cœna Domini, continetur.

SVMMA NOSTRAE DE COENA Domini doctrinæ.

REVERENDI viri, quibuſcum nunc eſt nobis agendum, inprimis hoc teſtamur: nos qui ex voluntate Illuſtriſſimi Principis Friderici, Comitis Vvirtembergenſis & Mompelgartenſis, ex Eccleſiæ Bernenſis & Geneuenſis conſenſu, ad hanc collationem venimus: hæc omnia, vt priuatas perſonas agere, nullo prorſus vllius Eccleſiæ vel paſtoris cuiuſquam [1]præiudicio.

Proteſtatio D Bezæ, & fratrum eius, de Colloquio inſtituto.

ANNOTATIONES marginales refutatoriæ. D. Iacobi Andreæ.

1. Quamuis & nos Eccleſiis noſtris nihil præiudicamus: doctrinæ tamen noſtræ nos minimè incertos, aut dubios eſſe teſtamur, vt quæ aperto & expreſſo Dei verbo nititur.

Quid Sactamenta Bezæ ſignificent.

Theſis I. *Th. Bezæ.*

DE SIGNIS.

SIgna, ſiue ſymbola, ſiue [2]ſacramenta, cum anguſtiore ſignificatione hæc vox accipitur, appellamus in hoc argumento res in ſenſus externos incurrentes: ex Domini inſtitutione & mandato à communi & naturali vſu rebus ſpiritualibus & ſacris nobis ſignificandis, deſtinatas. Cuiuſmodi ſunt panis & vinũ in Cœna Domini, vnà cum ritibus à Chriſto in eorum recta adminiſtratione præſcriptis.

Hanc autem [3]ſignificationem ſacramentalem dicimus minimè nudam eſſe rerum ſignificatarum externam repræſentationem, qua

Refutationes Vvirt.

2. Aequiuocatio vocabuli (SACRAMENTI) latibulum erroris, quod in Eccleſiis noſtris ſemper duas res complectitur, terrenam, & cœleſtem, ſacramentaliter & realiter coniunctas.

3. Chriſtus non ad ſignificationem: ſed ad exhibitionem rerum ſpiritualium, externa organa ordinauit.

mens tantùm admoneatur ad id concipiendum, quod sensibus obiicitur: qualis est imaginum & picturarum vsus vulgaris: sed quod ad Deum attinet, semper cum ea coniunctam esse ipsam rerum significatarum veram animis nostris oblatam præbitionem.

Fundamentum huius Theseos.

In hac re [1]consentire nos per omnia arbitramur: eo vno excepto, quòd soli Menti præberi res significatas docemus, quas vos existimatis ori quoque sumēdas exhiberi. Qua de re dicēdum erit in altera quæstione in qua videlicet agimus de signorum & rerum significatarum exhibitione.

1. Nullus hic consensus est, sed aperta dissensio. Nam ad exhibitionem, non ad significationem rerum spiritualium externa elementa in sacramētis destinata sunt.

Ad Annotationes marginales D. Andreæ refutatorias.

1. Miror, vnde colligat D. Andreas, non satis nobis constare de doctrinæ quam profitemur veritate, quòd nullo peculiari mandato aliarum nostræ confessionis Ecclesiarum instructi, testati simus quod agebamus, nullo cuiusquā præiudicio à nobis agi. De causæ certè quam tuemur bonitate, per Dei gratiam, minimè ambigimus. Sed nostræ modestiæ nō erat, nec etiam nostri priuati in Ecclesia muneris, prætergredi vocationis nostræ fines. An autē ipsis & aliquot aliis, absque Ecclesiarum bene ordinatarum liberis & legitimis suffragiis, extra suas Ecclesias euocatis, arbitrio suo, confessionis & Concordiæ, quam vocant, formulas præscribere, & dictatoriā potestatē vsurpare immô fas fuerit: etiā an Principibus rectè persuaserint, vt hāc auctoritatē in Ecclesia Christiana ipsis tribuerēt, viderit D. Andreas, & Deus Opt. Max. suo tēpore iudicabit.

2. Homonymiæ fallaciam quinam possit nobis D. Andreas tribuere, quum ab illius distinctione tractationem istam auspicati simus? Sacramenti verò appellationem interdum, imò etiam sæpissime, ad signa specialiter referri si negat D. Andreas, tollat hanc vsitatam & sine controuersia receptam definitionem, qua *Sacramenta* dicuntur *verba esse visibilia*, August. auctore: & illūd eiusdem, *Signa quum ad res diuinas adhibentur Sacramenta vocātur*. Et illud, *Sacramenta nomen accipere à rerum significatarum nomine*. Et illud Cypriani, *Visibilibus Sacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum*. Et illam quoque regulā, *Nihil habere rationem Sacramenti extra vsum*.

Quæ

Quæ ſubordinata ſunt non pugnant. In hac igitur collectione, paralogiſmus eſt diuiſionis. Et quum ipſe idem pag.172.teſtetur neminem vnquam negaſſe Sacramenta eſſe ſigna,non tamen tantùm ſignificantia, ſeipſum retexat, & hanc collectionem etiam vt calumnioſam deleat oportet: quum hoc ipſo loco doceamus Sacramẽtalem ſignificationem ſemper habere rerum ſignificatarum præbitionem coniunctam: quanuis nonniſi Spiritualiter menti præbeatur, quod externis ſignis corporali & ſenſibili modo ſignificatur. 4.

Theſis II. Th. Bezæ.

DE REBVS SACRAMENTA-liter ſignificatis.

PAne illo, corpus illud Chriſti pro nobis traditum:vino illo, ſanguinẽ illum pro nobis effuſum: panis illius fractione, & ſanguinis illius fuſione,diros illos pro nobis tum in corpore,tum in anima,à Chriſto toleratos cruciatus: exteriore eorundem ſymbolorum traditione, interiorem ac ſpiritualem mentibus noſtris à Chriſto factam præbitionem: denique eorundem ſymbolorum ſumptione externa, ſpiritualem eiuſdem Chriſti per fidem receptionem ſacramẽtaliter, verè tamen (ſicuti diximus)ex ipſius Chriſti[1] ordinatione ſignificari,docemus.

1. Ex diuina ordinatione, non ſignificationis, ſed communicationis cauſa, panis & vinum adhibentur.

Fundamentum ſecundæ Theſeos.

Cùm Dominus, non tantùm quibus ſignis vtendum ſit in his Myſterijs, oſtenderit: ſed etiam faciendum præceperit, quod fecit: docemus, non tantùm panem & vinum, ſed etiam illorum adminiſtrandorum[2] ritus diligenter obſeruandos eſſe: quòd ſua ſignificatione,& ea quidẽ minimè vana non careant.

2. Ritus in Sacramentis obſeruandi ſunt, quos Chriſtus ſeruandos præcepit,

Ad marginales refutationes.

Vide ſupra reſponſ.ad refut.3.& 4. 1.

Nihil hoc aduerſum nos,ſed aduerſus eos potiùs, qui fractionẽ panis, ſubſtitutis rotundis ſingularibus panibus, & acceptionem in manus nondum reſtituerunt. 2.

Theſis III. Th. Bezæ.

DE SIGNORVM ET RERVM *ſignificatarum coniunctione, ſeu copulatione ſacramentali.*

CVm [1] Sacramenta anguſtiore (vt dictum eſt) ſignificatione ſint ſigna: ſacramentalem coniunctionem ponimus in mutua ſignorum, & rerum ſignificatarum relatione & habitudine: qua fit, vt res illæ in ſenſus incurrentes, ex Chriſti ordinatione, à communi & naturali ſuo vſu, ad res ſacras nobis & ſignificandas, & reipſa diuinitus præſtandas, adhibeantur.

1. Externa elementa nõ ſunt Sacramenta: ſed pars tantùm Sacramentorum. Ideò inſidiæ ſub varia acceptione vocabuli (Sacramenti) diligenter obſeruandæ, & cauendæ ſunt.

Fundamentum huius Theſeos.

Primum fundamentum huius Theſeos eſt, [2] veritas corporis Chriſti, verè circumſcripti & localis, tum ante, tum poſt glorificationẽ, quæ veritas ſtare non poteſt, ſi alia ratione dicatur adeſſe pani Chriſti corpus, quàm illa relatiua habitudine. Itaque quot teſtimoniis illa veritas corporis Chriſti confirmatur, (ſunt autem penè innumerabilia) totidem teſtimoniis realis conſubſtantiatio conuellitur.

2. Veritas corporis Chriſti circumſcripti & localis, cum præſentia eiuſdem corporis Chriſti reali in Sacramento non pugnat, quoniam Phyſica, & localis non eſt, ſed ſacramentalis.

Secundum: Quot locis confirmatur vera & [3] Phyſica corporis Chriſti diſceſſio à terris in cœlos, & eiuſdem de cœlis reuerſio, extremo demum illo die futura: tot locis refutatur illud ipsũ dogma, his ex diametro repugnans.

3. Sic quoque Phyſica diſceſſio corporis Chriſti à terris, cum ſacramentali præſentia non pugnat.

Tertium: Expreſſé dicit Paulus 2. Cor. 5 Nos nunc [4] peregrè abeſſe à Domino, & vt ſit cum Chriſto, cupit diſſolui, iubénſque nos ſuperna quærere, non temerè addit, vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens; quod ſuperuacaneum eſſet, ſi ad huc in terris nobiſcum verſaretur.

4. Peregrinatio corporalis ſeu terrena à Chriſto, non pugnat cũ ſacramentali præſentia, & coniunctione cum corpore Chriſti, quæ non eſt terrena, ſed cœleſtis & ſupernaturalis.

Itidem

Itidem (vt alia innumera testimonia prætereamus) testatur Christus expressis verbis, se ire ad parandum locum, vbi suos est recepturus. Ioan.14. Ioan.3.

Ex quo efficiuntur duo: [5]Vnum, abiisse ipsum in certum locum, cùm hunc mundum desereret. Alterum, qui sunt in mundo, non esse cum Christo, id est, non esse eo in loco, vbi nũc est caro Christi: sed exeuntes è mundo, in eum locum recipi, vbi iam Christus est, id est, in Paradisum: sicut ipse explicat, latronem illum compellans, Luc.23.

5. Putat Beza cum suis, nos non aliter cum Christo, neque Christũ aliter nobiscũ esse posse, nisi fiat id localiter, & Physica præsentia: quod fundamentũ est totius huius erroris de Cœna Domini.

Quartum: Affirmamus perpetuum hunc fuisse veteris Ecclesiæ [6] cõsensum de vera essentiæ carnis Christi, ex quo in cœlos ascendit, à nobis absentia: & perpetua eiusdem essentię carnis Christi, nunc in cœlis, nõ in terris positæ, circũscriptione organica & localitate: quæ cum alia sacramentali coniunctione quàm cum illa [7] σχετικῇ & relatiua cohærere non magis possunt, quàm simul stare contradictoria.

6. Non esse hunc veteris & purioris Ecclesiæ consensum, in solida refutatione Consensus Orthodoxi demonstratum est.

7. Coniunctio corporis Christi cum signis in terris, non est σχετικὴ & relatiua: sed realis, cœlestis, diuina, & supernaturalis.

Ad marginales refutationes.

Nullæ hic à nobis insidiæ, quum distinctionem homonymiæ exprimamus. Sacramenti verò appellationem interdum solis signis tribui paulò ante ostendimus: neque negari nisi peruicacissimè potest. Imò ne hoc quidem negare opinor audeat D. Andreas, Sacramenta interdum vocari sacras ipsas actiones, quod indicant ipsa Baptismi & Cœnæ Domini nomina, quæ certè non sunt in Substantiæ, sed in Actionis prædicamento: in duplici verò materia, nempe, signorum & rerum significatarum, vt componentibus quas vocant partibus versantur. 1.

Quid audio? Essentiæ vllius rei & ipsius actualis præsentiæ modi, contradictoriè inter se opponi sine falsitate possunt? Sit ergo in contradictoriis vtrumque verum: quod quidem qui sentiunt, magis etiam in veritatem peccant, quàm quos ait Propheta, de malo bonum, & de bono malum dicere, & tenebras pro luce, & 2.

lucem pro tenebris:amarū pro dulci,& dulce pro amaro ſtatuunt. Certè niſi præſentiæ actualis modus, & rei ipſius eſſentia, perpetuò cohærent,neceſſarium non fuit Chriſti argumentum à palpabilitate & viſibilitate,ac proinde localitate ſui corporis ſumptum, ad veram fidem veræ veri corporis reſurrectionis faciendam. Et vanum eſt quicquid patres aduerſus Marcionitas pro aſſerenda carnis Chriſti veritate diſputarunt. Quòd ſi tamen D. Andreas Sacramẽtalem præſentiam verè nobiſcum ſpiritualem definiret:eam videlicet quæ de vero illo Circunſcripto & Locali Chriſti corpore dicitur: ſed ſoli menti per oculum fidei, tum in verbo tum in Sacramentis, illud imaginatione quidem, ſed veriſſima, ſolidiſſima,efficaciſſima contemplanti, offertur: nihil ſanè rectiùs & magis appoſitè pro nobis & contra ſe ſcribere D. Andreas potuit.

3. Sicut veræ Humanitatis à verbo hypoſtaticè aſſumptæ, & in terris verſantis vnitio, proprietates illius Eſſentiales, (id eſt quibus corporea eſt) illi non ademit, (nam alioqui non aſſumpta ſed abſorpta fuiſſet) ſic etiam nec Aſcenſio, nec Gloria, hanc corporalitatem, id eſt circunſcriptionem & localitatem illi abſtulit. Itaque ſicut verè & Phyſicè corpus illud ſurſum eſt ſublatum, ita verè & Phyſicè Eſſentia ſua abeſt & aberit, donec vltimo die reuertatur ſicut aſcendit. Rectè igitur & neceſſariò concluſit aduerſus Eutychen Vigilius, *ſicut quum in terris eſſet, non erat hæc caro in cœlis, ita etiam quum nunc aſcenderit in cœlos, & ibi ſit, non eſt in terris*: & Auguſtinus, *nunc in terris non eſſe, quoniam in cœlos aſcendit, & inde venturum illum expectamus.*

4. Quò quò ſe vertat D. Andreas vera & realis eſt abſentia corporum noſtrorum à corpore Chriſti,quam ſtatuit Paulus,ideo etiam cupiens ex hoc corpore emigrare,vt eſſet reipſa & ſuo Spiritu cum Chriſto. Deinde puerilis eſt petitio principij in hac collectione: Aſſumit enim tanquam verum & à ſe probatum,quod in ęternùm non probabit, vtpote articulis fidei ex diametro repugnans,illocalem, videlicet, & Eſſentialem atque actualem corporis Chriſti, ſiue in terris, ſiue in cœlis præſentiam. Hoc tamen idem veriſſimè dicit, cœleſtem nimirum & ſupernaturalem eſſe corporis Chriſti cum ſuis membris coniunctionem, ac proinde non in aliqua corporis ipſius ad noſtra reali appropinquatione poſitam, ſed ſpiritualem,id eſt mentis,& fidei. Hoc autem poſito tollitur quoque realis illa ſeu viſibilis ſeu inuiſibilis conſubſtantiatio, & totum illud oralis manducationis figmentum.

5. Ludit Sophiſticè D,Andreas in Chriſti appellatione, pro Chriſti

sti Humanitate. Christum enim alioqui, licet verum Deum & Ho- 5.
minem, neque ab humanitate sua vnquam separatum, tamen non secundum carnis essentiam, sed sua diuinitate, non tantùm Essentialiter, sed etiam peculiari energia & gratia in sanctis suis habitare (cuius gratiæ tessera & pignus est Cœna Domini) quis Christianus negarit. Sed & cœlitus Christū humanitatis illius suę imperio & potestate Ecclesiam regere, & membra sua adhuc in terris posita sui Spiritus virtute fouere & mirabiliter conseruare, quisnam Christianus inficiatur? Sed & illud putida calumnia est, quod ait D. Andreas, Bezam, videlicet *existimare, Christum nobiscum, & nos cum Christo non nisi localiter esse posse.* Nam è contrario, qua de re præcipuè inter me & illum, hoc loco controuertitur, nisi quòd dico, clamo, vociferor nos verè, quandiu hîc viuimus, spiritualiter, mente inquam & fide, cum illo sic copulari, vt ipse in nobis viuat, & nos in illo? D. Andreas autem ex aduerso, vrget, instat, clamitat, Essentialem præterea In, Sub, vel Cum pane præsentiam realem, & oralem mãducationem, & tamen illocalem requiri. At ego illam ex aduerso, non ὑπερφυσικὴν sed antiphysicam, ac perinde merè falsam & imaginariam affirmo. Nam hoc illud demum est quod affirmat, & semper affirmabit Beza cum tota orthodoxa Ecclesia, vbicunque adest reipsa Essentiale Christi corpus, necessariò, & in loco, & localiter adesse.

Nihil probat qui simpliciter negat. 6.

Quasi verò Sacramentalis σχέσις quatenus ab ordinatione diui- 7.
na dependet, & ad ilud magnum mysterium nostræ cum Christo Spiritualis per fidem consociationis nos deducit, verè non sit diuina & cœlestis: quasi denique signa quæ (quoniam ad res diuinas transferuntur Sacramenta auctore Augustino) vocantur, ab aliis quibusuis signis, vel naturalibus, vel quæcunque ad humana negotia adhibentur, nequaquam discernamus. σχέσιν denique relatiuam qui negat, neget quoque Sacramenta esse signa. Itaque ad ipsum D. Andream prouoco pag. 172. rectiùs paulò sentientẽ & loquutũ.

Thesis IIII. Th. Bezæ.

DE SIGNORVM ET RERVM *significatarum, in Cœna Domini ritè administrata, perceptione.*

CVm [1]Sacramenta (hoc vocabulo latiore notatione accepto) duabus rebus con-

1. Vocabuli (Sacramenti) æquiuocatio, erroris latibulum est: quod puriores Ecclesiæ doctoribus duas res significat, terrenam & cœlestem: sicut vocabulum quo-

que ἀνακεφαλαίωσις, apud Irenæum & alios scriptores Ecclesiasticos.

2. Christus in verbis Testamenti, corpus suũ ore mãducari iussit: nulla mẽtis, aut fidei mentione facta.

3. Chrysostomus testatur, Christum per corporalia, spiritualia dispensare, quum panem exhibens dicit: Accipite, manducate, Hoc est corpus meũ. Ita etiam, per corporale organũ, hoc est, ore accipere iussit. Analogia ergò optimè quadrat: quòd sicut CVM pane datur corpus Christi: ITA ORE percipitur.

4. Corporalem esse modum perceptionis, ex verbis Christi demõstratur, accipite, manducate: quod ore fit: non dicit, Credite.

5. Nequaquam figurata manducatio corporis Christi in Cœna Domini est: sed vera, & realis, quę in mysterio fit: ideo Metonymia hîc locum non habet.

6. Vtraque sumptio ore fieri potest, quamuis diuersa earũ sit ratio. Sicut Maria Deum & hominẽ vno partu peperit: quãuis alia ratione Deum, alia hominem. Ideo absurda, quæ inde colliguntur, nequaquam sequuntur. Quum corporis Christi Mystica sit manducatio, in Physica manducatione sacrati panis in sacramento.

stent: vna videlicet terrena, altera cœlesti: docemus, rem terrenam, id est, panem & vinum, terrenis instrumentis, manu scilicet, & ore percipi: & similiter ritus Sacramentales, corporeis itidem instrumentis peragi: Rem autem cœlestem, id est, quidquid per illa sacramentaliter significatur, sicuti soli Menti subiicitur, sic sola Mente per fidem apprehendi.

Fundamentum huius Theseως.

Etsi [2]corpus Christi, quod in Cœna sumendum præbetur, est verum corpus organicum: tamen analogia poscit, vt qualis est alimonia, & eius finis: talis sit illius alimoniæ percipiendæ modus. Atqui rei sacramentaliter significatæ, id est, carnis & sanguinis ipsius Christi, alimonia & finis sunt spirituales, [3]id est, ad spiritualem coniunctionem cum Christo, & vitam æternam ex illo hauriendam spectant. Spiritualem ergo earundẽ rerum percipiendarum [4]modum esse necesse est: & animæ instrumento proprio, id est, fide, tam in verbo simplici, quàm in Sacramentis peragi. Deinde terrena signorum terrenorum sumptio, pignus est alterius, nempe spiritualis illius: ac proinde voces comedendi & bibendi, sicuti propriè de signorum sumptione, [5]Sic *figuratè* de rebus significatis dicuntur Sacramentali *Metonymia*: qua, quod signis competit, rei significatæ attribuitur.

Vtraque ergo sumptio ore peragi nec potest nec debet. Quia aut vtraque res esset hac ratione pignus tertiæ alicuius rei, toto genere diuersæ: aut earum altera esset suiipsius signum & pignus: siue simul signum, & res significata: siue pignus, & res ipsa, cuius pignus esset: quod vtrumque est absurdissimum. Quamobrem etiam in hoc ipso argumento, ab Irenæo res illa cœlestis appellatur, & à terrena distinguitur.

Secun-

Secundò,[7] si substãtia ipsius corporis Christi ore perciperetur: maneret quoque ipsa saltem in piis & fidelibus: qui proinde fierent substantialia membra Christi: vnde consequeretur aliud absurdissimum, Ecclesiam videlicet non esse mysticum corpus *Christi*, sed corpus quoddam ex substantia ipsius corporis Christi, & piorum omnium corporibus reipsa & essentialiter conflatum.

Tertiò, [8] Quum caro illa Christi vinculum sit, quo pij omnes in vnicum corpus mysticũ coalescunt: necessariò efficeretur, non esse separatas substantias, siue personas piorum: sed sicut cum capite Christo, ita inter se suis reipsa essentiis, & personis cohærere. Contrà verò quum spiritualis sit, & tamen verissima & arctissima illa fidelium membrorum inter se connexio, adeò quidem, vt vnum cor, & vna anima esse dicantur: consequitur, spiritualiter quoque illa & per fidem cum suo capite [9] coniungi. Quicum propterea sicut vnũ corpus, [10] nempe Mysticum: ita etiam vnus spiritus esse dicuntur, & per spiritum Christus in eis habitare.

Quartò: Merè [11] spiritualem esse, & fidei instrumento peragi, Christi Dei & Hominis coniunctionem cum Ecclesia sponsa sua: liquet ex eius coniugij quasi liberis, qui fructus iustitiæ appellantur. Qualis enim est prolis cõditio: talem etiam oportet esse, tum conceptionem, tum generationẽ, tum etiam ipsum coniugij modum.

7. Si physica corporis Christi in Cœna Domini esset manducatio: sequerentur illa absurda. Sed quia est cœlestis, & supernaturalis, adeóque modus planè spiritualis: ideò consequentia hæc nulla est. Et sicut Ecclesia cum Christo mysticum corpus est: ita etiã hæc perceptio in mysterio fit.

8. Membra Christi, ratione substantiarũ suarum, quoad se, manent separatæ personæ: quæ tamen nihilhominus cum Christo mystic*è*, hoc est, realiter, nõ σχετικῶς, aut relatiuè, sed verè in hoc mysterio, modo supernaturali cõiunguntur.

9. Coniunctio autem illa non est σχετικὴ aut relatiua: sed realis, non significatiua, sed exhibitiua.

1 Cor. 6.

10. Hanc coniunctionẽ διάστημα locorum non tollit: quum coram Deo, & apud Deum, neque locus neque tempus sit.

11. Hæc spiritualis autẽ coniunctio per organa fit corporalia & externa: qua res spirituales cũ rebus externis coniunguntur.

Ad marginales refutationes.

De huius refutationis vanitate diximus iam antea, in responsione ad secundam refutationem Thes. nostræ primæ, & primam quartæ. 1.

De hac quoque diximus in responsione quintæ Antitheseos 2.

ad refutationem ſecundam.

3. Debuit D. Andreas citare locum Chryſoſt. vt an appoſitè vel perperam illum citet appareret. Veriſſimum autem eſt non tantùm in Sacramentis, verùm etiam in verbo ſimplici Spiritualia nobis per ſenſibilia, id eſt ſenſibilium rerum & organorum interuentu præberi. Sed non minùs abſurdum eſſe affirmo dicere, Chriſtũ eſſentialiter in Cœna Domini ore manducari & bibi: quàm ſi dicatur in ſimplici Euãgelij prædicatione auribus ipſis recipi: Quod enim hîc verbum per auditum, id in ſacramentis viſibilia ſymbola, per oculos mẽti & fidei teſtãtur: menti quidẽ vt illa quæ ſibi prębentur intelligat, fidei verò vt à mente intellecta κατὰ λόγον. Iſtas verò locutiones, *Corpus Domini in os intrare, comedi, bibi*, ſæpe apud Patres occurrentes, non aliter eſſe quàm partim quidem tropicè & figuratè intelligendas (nomine rerum ſignificatarum ad ipſa ſigna tranſlato, vt expreſſè docent patres, & quidem in primis Theodoretus & Auguſtinus) partim verò non aliò referendas quàm ad declarandam Sacramentalis præbitionis efficacitatem: ex aliis ſimilibus plurimis locutionibus conſtat: quas puduerit certè D. Andream κατ' ῥητὸν interpretari, ſic enim dicitur *Corpus Domini*, in horum myſteriorum celebratione, *creari, in terram cadere, videri, tangi, conſumi, Chriſti ſanguine linguam rubeſieri*. Sed & hoc ipſo ſenſu D. Lutherus ſcripſit rectè & verè, propter Sacramentalem coniunctionem, de corpore dici, quę propriè carni conueniunt: in eo tamen deceptus quòd hæc retulit ad Sacramentalis coniunctionis, præbitionis & perceptionis realem & actualem, tam corporis & ſanguinis Domini, quàm panis & vini ſubſtãtiarum coëxiſtentiam in terris: quam nullo modo admittit corporis Chriſti veritas, & quæ ad ſpiritualem horum myſteriorum finem, id eſt myſtici corporis conſtitutionem & alimoniam nihil nos iuuaret, etiamſi vera eſſe concederetur.

Denique quod addit D. Andreas de Analogia, quam in eo imaginatur eſſe poſitam, & pulchrè ſibi perſtare, quòd *ſicut cum pane datur corpus Chriſti, ita ore percipiatur*: etiamſi tam verũ eſſet quàm falſum eſt, tamen nihil ad meam Theſin faceret. Nec enim in illa de Dationis & Receptionis, ſed de Receptionis & Finis analogia diſſero, ad quem illa perceptione peruenitur: qui finis quum ſit merè Spiritualis alimoniæ non corporalis, meritò collegi Spiritualem quoque eſſe oportere, nõ corporalem, illius cibi ſumptionem, ac proinde nõ ore ſed mente & fide peragi: adhibitis tamen illius ſpiritualis ſumptionis pignoribus conuenientiſſimis, nempe

orali

orali symbolorum esu & potu: in qua demum externa forma, non autem in re quæ præbetur & percipitur, situm est sacramentorum & simplicis prædicati verbi discrimen.

Vide quæ diximus in responsione ad 5. Antitheseos refutationem secundam. 4.

Quasi verò, mentiatur qui tropicè loquitur, & quod soli menti & fidei præsens est, verè & reipsa non sit illi præsens, & quod Spiritualiter per fidem percipitur, verè & re ipsa non percipiatur. Figurato verò sermone dici mentem comedere & bibere, res ipsa probat, siue reipsa & actu præsens corpus Domini, siue absens statuatur. Et ne excipiat D. Andreas à se non agi de Mentali sed Orali esu & potu in Cœna Domini: Respondeo, negari meritò non posse, quin ea ipsa ratio, propter quam figuratè dicit August. intelligendum esse præceptum Domini, cap. Ioh. 6. de manducanda sua carne, & bibendo suo sanguine, in Cœnæ quoque Domini celebratione valeat, quum de vna & eadem carne, eodémque sanguine vtrobique agatur, & tam horrendum ac flagitiosum sit visibiliter quàm inuisibiliter, humanas carnes essentialiter præsentes ore comedere, & essentialiter præsentem sanguinem ore potare. 5.

Meræ sunt hæ præstigiæ. Est enim toto genere & omnibus modis diuersa hypostatica vnio à Sacramentali coniunctione: & diuersissimæ sunt naturæ, Deitas & humanitas, vnde diuersitas illa Christi partus nascitur. At Caro & sanguis Christi, quatenus sunt res corporeæ, materiatæ, & natura sua circumscriptæ ac locales, cum pane & vino rerum incorporalium definitione prorsus conueniunt: ac proinde coniunctæ, vna eadémq; ratione præsentes sint oportet, si essentialis & actualis presentia & his & illis tribuatur: vnde & illud necessariò cõsequetur, non diuerso quidẽ, nedum cõtradictorio modo posse illa ori præberi & ore sumi: panem videlicet & vinum naturali, visibili, & sensibili modo, corpus autem & Sanguinem Domini inuisibiliter, illocaliter, hyperphysicè. 6.

Eadem rursus absurda & manifestè falsa huc recurrunt. Quum enim Physicum tunc esset Christi corpus quum Cœnam instituere, necdum glorificatum, immò exinanitioni suæ proximum: tantùm abest vt antiphysica vlla ratione vel adfuerit illi sacro pani, vel ab Apostolis sumi potuerit, vt ne hyperphysicam quidem essentialem & Actualem vllam cum pane præsentiam aut perceptionem, sed illam solam Spiritualem quam ponimus, admitteret. Est enim hæc verissima quidem & efficacissima, sed neque tum corpori Christi verè physico & circumscripto, & adhuc mortali, coram 7.

discipulis ad mensam verè & localiter assidenti quicquam derogabit: neque nunc eidem glorioso, & licet supra res omnes creatas euecto, tamen secũdum Essentiales omnes veri corporis proprietates, verè physico, vel tantillum detrahit. Num verò, nunc est alia Sacramentalis vel coniunctio, vel perceptio, quàm quum primum sacra illa Cœna à Christo institueretur? Deinde, quum necessariò qualis est mystica membrorum Christi cum ipso capite, per carnis ipsius participatæ interuentum coadunatio, talem esse & statui oporteat illius carnis perceptionis rationem: sit autem illa coadunatio merè Spiritualis, & ab apprehensione, quæ per solam fidem fit, citra vllam actualem corporis Christi ad nostra corpora, aut nostrorum corporum ad illius corpus appropinquationem, siue συναφὴν, dependeat: quis non videt, nullam hîc quoque vel in verbo, vel in Sacramentis actualem ipsius carnis Christi cum pane coëxistẽtiam, vel corporalem & oralem esum vel potum requiri?

8. Quis verò nostrûm sic vnquam insaniuit, vt vel præbitionem vel perceptionem corporis Christi σχετικὴν siue relatiuam faceret? Itaque vel inscienter vel calumniosè D. Andreas mutat quæstionis statum: & quæ de signorum & rerum Sacramentaliter significatarum mutua coniunctione dixi, (quæ & ipsa non ori sed menti & fidei accedentium in promissionis verbo intelligenda & credenda proponuntur) hoc ipse ad præbitionis & perceptionis modum transtulit.

9. Ad priorem huius refutationis partem, modò respondi. Posteriore verò, quid absurdius dici potest? Quid enim impedit quominus verè exhibeatur, imò interdum etiam visibiliter & palpabiliter, quod mera relatione cum altero constat? Sic dato annulo, tradit sese coniunx vxori: data claue, traditur possidenda domus: &, vt ad nostra propiùs accedam, sic Euangelij voce, cum qua Christus nullo certè nisi relationis modo cohęret, ita Christus fruendus & vita in ipso æterna verè prębentur, & ita fit Euangeliũ omnibus credentibus certum & efficax salutis instrumentum. Sic in Baptismo mutua est, eáque minimè vana Aquæ vt signi, & sanguinis Christi vt rei signatæ, itidémque externæ ablutionis, & ablutionis peccatorum, relatio Sacramentalis: & tam verè, licet Spiritualiter, res illæ significatæ præbentur, & per fidem percipiuntur, quàm verè corporaliter & sensibiliter aquæ aspersio cum Patris, Filij, & Spiritus sancti inuocatione, adhibetur.

10. Tantùm absumus ab eo vt hanc D. Andreæ obseruationẽ inficiemur, vt contrà, hoc ipso fundamento nitamur, quum spiritualẽ

&

& tamen certissimam & verissimam esse dicimus in Sacramentis signorum in terris sitorum, & rerum significatarum in cœlis positarum coniunctionem : & earundem quanuis tanto à nobis interuallo Essentia sua distantium, quanto beatorum illæ sedes supra omnes cælos à terris absunt, per fidem ex Sp. S. virtute apprehensionem. Sed & eâdem ratione Patres affirmamus, per eandem fidem, quæ est rerum speratarum ὑπόστασις, & ex eiusdem S. Spiritus virtute, eum ipsum cibum comedisse, & eum ipsum potum bibisse, quamuis re ipsa tunc nondum existentes, quos aliis adhibitis signis nunc, quamuis essentia sua longissimè à nobis dissitos comedimus & bibimus, ideſt Spiritualiter perceptos nobis efficacissimè applicamus. Hinc est denique quòd illos asserimus, iam tum sacrificij Christi, quamuis nondum oblati, & nostræ inde proficiscentis redemptionis fuisse participes, quoniam nimirum res illas suo tempore peragendas, iam tum fidei oculis præsentes, in verbo & Sacramentis suis intuebantur: sicut nos idem illud sacrificium, licet iam præteritum & exactum, ipsúmque Christũ, quamuis non ampliùs in cruce pendentem, tamen quasi adhuc sanguinem suum è cruce stillantem, in noui fœderis verbo & eius Sacramentis, eiusdem fidei oculis spectamus, & per eandem, veluti manu quadam apprehendimus.

Num verò D. Andreas, corpus ipsum Christi essentiale inter organa recenset? Nequaquam opinor, quum sit res ipsa quæ adhibitis illis organis nobis donatur. Quod si ita est, quorsum nobis Oralis illa quam imaginatur ipsius Christi corporis manducatio? Imò potiùs, si in sacra Domini Cœna non alia recenset organa Subsistentiæ quàm panem illum & vinum illud, cur non etiam solam illarum rerum externam præbitionem & receptionem inter organicos Sacramentales ritus numerat? Quoniam, inquiet, D. Andreas, Christus alium præterea organicum Sacramentalem ritum constituit, nempe ipsius quoque corporis externam & oralem manducationem. Hoc verò quid aliud est quàm principium petere, id est, illud ipsum de quo controuertitur, tanquam probatum assumere? Quod igitur hic scribit D. Andreas, tantùm abest vt inficiemur, vt cõtrà rectè intellectum, testemur, illum nihil potuisse ad suam essentialem præsentiam & oralem manducationem refellendam accommodatius adferre. II.

Theſis V. Th. Bezæ.

DE COENAE DOMINI *effectis.*

COEnam Domini, [1] non propter panem & vinum, ſed ad hominum ſalutem conſtat eſſe inſtitutam. Proprium igitur illius effectũ eſt, dignè, id eſt, cum pœnitentia & fide ad illam accedentium ſalus, per confirmationem ſpiritualis ipſorum cum Chriſto conſociationis: qua nimirùm fit, vt quemadmodum in corpore naturali animato membra cum capite naturaliter cohærentia, ſenſum & motum inde percipiunt: ita ipſi Chriſto ſpiritualiter copulati, dona omnia ſpiritualia, regeneratorum propria, ac tandem etiam vitam ipſam æternam, à Chriſto capite in cohærẽtia membra emanantem, magis & magis adipiſcãtur. Cuius etiam propterea ſigillatim quidem membra, coniunctim verò myſticum corpus appellantur: aucto propterea etiam in illis charitatis dono per S. ſanctum: quoniam ſeparata alia ab aliis membra, neque corpus vnum efficere, neque vnius eiuſdémque capitis corpus vnum eſſe poſſunt. Alterum autem effectum eſt, indignè, id eſt, vel cum ignorantia huius Myſterij, vel cum mera incredulitate & impœnitentia accedentium, [3] condemnatio: [2] non ab ipſa cœna, ſed ab indigno ipſius vſu κ) συμβεβηκὸς emanans.

1. Etſi Cœna Domini propter panẽ & vinum non eſt inſtituta: tamen viſum eſt Chriſto, cum pane & vino corpus & ſanguinem ſuum ſacramentaliter coniungere, & in Cœna Domini vescẽtibus diſtribuere: ſicut expreſſa eius verba ſonant, Accipite, Manducate, Hoc eſt corpus meum, &c.

2. Chriſtus in Cœna ſua tam efficaciter iudiciũ operatur in indignis, quàm vitam & conſolationem in dignis conuiuis. Quia non ſolùm odor vitæ ad vitam, ſed etiam odor mortis ad mortem eſt. 2. Cor. 2.

Ad marginales refutationes.

1. Hoc verò non eſt noſtra refellere, ſed rurſus principium petere: quaſi videlicet probarit D. Andreas hæc Chriſti verba, Accipite, Comedite, Bibite, (quæ in ſimplicis verbi prædicatione metaphoricè intelligenda non inficiatur) in ſacra Domini Cœna κατὰ τὸ ῥητὸν, non aliter de carne & ſanguine Domini quàm de pane illo & vino illo dici. Hoc autem commentum nos ſolidis & inuictis rationibus à veritate perpetua phyſici corporis Chriſti, ab eiuſdem vera Aſcenſione & Reuerſione, denique à certiſſimo duplici axiomate petitis, aliquoties iam refutauimus, Vno, quòd verè phyſico cor-

corpori, cuiusmodi est illud Christi corpus, quantumuis glorificatum, antiphysica, idest quibus physici corporis, entitas ipsa tollitur, tribui verè non possint: altero, quòd citra vllam prorsus exceptionem, ex duobus contradictoriis alterum necessariò sit falsum: ac proinde vtrumque simul velle Deus nequeat: non quòd non sit Omnipotens, immò quòd non possit simul quod vult, nolle: quod non vult, velle: quoniam est verè immutabiliter Omnipotens.

Cæterùm quod hîc fatetur D. Andreas, Cœnam Domini, non propter panem & vinum, sed propter homines esse institutam, viderit quomodo cum illa sua reali, essentiali & actuali, atque adeò sui ipsi creditur, penè hypostatica ipsius corporis & sanguinis Domini In, Sub vel Cum illo Pane & Vino vnione conueniat. Nam, quòd ad dignè quidē accedentes attinet, ore corpus Christi manducare & sanguinem bibere: & sic mysticum eius membrum fieri, quod scilicet ipsius virtute & gratia regatur, (nisi fortassè vult D. Andreas, fideles, sicut ore ex ipsius sententia manducant Christi corpus, sic etiam corpore realiter & actualiter cum ipsius carne & sanguine cohærere) longè minoris dignationis fuerit, quàm vsque adeo arctè & intimè & inseparabiliter cum ipso corpore & sanguine coëxistere: vt, quemadmodum propter hypostaticā vnionē, Homo ille assumptus est Deus, & Deus ὁ λόγος est Homo, & vbicunque est, totus est, id est Deus & Homo: sic etiam propter Sacramētalem vnionem, panis iste sit corpus Domini, & vinum illud sit sanguis Domini: eodem videlicet prædicationis (quam inusitatam vocant) genere, & vbicunque dicitur, *Hic est panis*, sic quoque dicatur, *Hic est essentialiter corpus & sanguis Christi*. Quod autem attinet ad indignè accedentes, oralis illa manducatio, non modò non dignationis minoris fuerit, sed etiam extremæ infœlicitatis.

Spiritualem suam Christi perceptionem quæ fit in simplici verbo per fidem apprehenso, D. Andreas, (qua de re in Antithesi nostra prima pluribus diſſeruimus) à Sacramentali discernit, non tantùm externa forma & administratione, sed etiam reipsa: quasi verò in simplici quidem verbo, vt & in Baptismo, sola Christi beneficia sicut per fidem percipiantur, sic per incredulitatem vt & ipsum verbum prædicatum, & externa Baptismi ablutio, respuantur: in Sacramentali verò demum perceptione ipsa quoque carnis & sanguinis Christi essentia, tum à dignis, tum ab indignis ore, à fidelibus quidem ad salutem, ab indignis verò ad exitium percipiatur: perperam igitur ab illo torquetur Pauli locus ex 2. Corinth. 2. 16. si Apostolum dicamus de simplici duntaxat 2.

per verbum prædicatione loqui. Sin verò generaliter accipitur hic Apostoli locus tam de simplici Euangelii prædicatione, quàm de Sacramentorum administratione, D. Andreas suo ipsius reti constringitur. Quum enim nullum Apostolus inter illas duas perceptiones, neque quòd ad rem, neque quòd ad duplicem illum finem vitæ vel mortis attinet, discrimen constituat, sed iisdem verbis vtrobique vtatur, quis non videt Apostoli verbis essentiam Christi, non minùs in simplici verbi prædicatione & in Baptismo, quàm in Cœna Domini præberi? quod D. Andreas inficiatur, illam à Christi beneficiorum sola perceptione distinguens.

Thesis VI. Theod. Bezæ.

DE SALVTARIVM COENÆ *effectorum causis.*

CAusas in hoc Mysterio concurrentes sic distinguimus, vt [1] Spiritus quidem sancti infinitæ & ineffabili potentiæ insolidum acceptam feramus illam nostri cum *Christo* consociationem: quam Paulus propterea Mysterium magnum vocat, Ephes. 5. Omnia autem illa cœlestia dona, de quibus diximus, ac tandem etiam æternam illam, tum corporis tum animæ vitam, ab vno *Christo* Deo & Homine pro nobis crucifixo, & tandem supra res omnes in illa carne euecto, in nos emanare credamus, ex Dei patris Omnipotentis ordinatione.

1. Quamuis per S. sanctũ Christus agat: non tamẽ in Cœna Domini d. ctũ est: Accipite, Manducate, Hoc est Spiritus sanctus. Nequaquam ergo caro Christi hac efficacia spoliãda, & soli Spiritui sancto tribuenda, cuius participatione caro viuificat.

Instrumentales verò causas, ipsius Dei respectu, constituimus, partim Pastorem, Dei nomine & mandato agentem quod agit: partim verba institutionis: partim symbola, & sacramentales ritus. Nostri verò respectu [2] fidé, nobis ex Dei dono insitam. Istis autem instrumentis sic vti Deum docemus, vt tamen [3] illis nullam vim intrinsecam efficiẽtem insinuet, sed duntaxat, quòd ipse vnus intus agat, nobis per ea testificetur, nempe spiritualem illam Christi nobiscum consociationem, & quæcunque inde nanciscimur.

2. Sacramentalis perceptio corporis & sanguinis Christi, non fit fide tantùm, sed ore quoque corporis: quia dicit, Accipite, Manducate: non dicit, accipite, & credite.

3. Sublata hac intrinseca vi sacramentali: substantia sacramenti dissoluitur. Non enim testificatur tantùm: sed operatur, & vim illam exercet Christus in vsu huius Sacramenti.

Has

4 Has duas posteriores Theses, nulla probatione apud vos indigere arbitramur.

4. Maximè opus erat: quia Sacramenta sua vi spirituali spoliant.

Mompelgarti, 22. Mart. Anno 1586.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Abrahamus Musculus, Bernensis Ecclesiæ Minister.
Antonius Faius, Ecclesiæ Geneuensis Minister.
Petrus Huebnerus, Græcæ Linguæ, in Gymnasio Bernensi Professor.
Claudius Alberius, D. & Philosophiæ Professor in Academia Lausannensi.

Ad marginales refutationes.

Hoccine verò est seriò disputare, an potius ludere in re tam seria? Christus, inquit D. Andreas, non dixit, Hoc est Sp. S. cur enim & quorsum hoc diceret? Spiritum S. autem, tertiam, inquam, illam Trinitatis personam, esse Patris & Filij essentialem & immanentem virtutem, ab vtroque procedentem, cuius etsi non separata, distincta tamen actio sit & operatio, nos regenerare, illustrare, in omnem veritatem introducere, mouere, consolari, spirituales denique omnes motus in Sanctis ciêre, & varia illa dona illis distribuere, si negaret D. Andreas, indignum certè arbitrarer quîcum ampliùs disputaretur. Neque verò personæ vel patris vel Filij detrahitur, quod Sp. Sancto quoque tribuitur, quum & ab illo & à Patre, mitti dicatur, & non dubitarit Christus dicere, De meo accipiet & docebit vos: non vt inter personas imparitas constituatur, sed vt, sicuti personæ, sic etiam in administratione nostræ salutis earum operationes propriè distinguantur, quod apud Scholasticos, quãuis spinosè, verè tamen & rectè docetur. Iam verò quod ad carnis Christi virtutem & potentiam attinet, absit à nobis vt illi quicquam detrahamus. Prudenter tamen quæ diuinæ sunt operationis Deitati τῷ λόγῳ, quæ verò humanæ, vicissim Humanitati illius sic distinctè tribuenda sunt, vt neque cum Nestorio diuidatur Persona: neque cum Eutychete, aut naturæ ipsæ, aut Essentiales earum proprietates confundantur: vel cum Monothelitis vnica voluntas & operatio statuatur. Quid autem hic occultet D. Andreas, ex thesibus de Christi persona meliùs apparebit. 1.

Sexies iam repetita petitio principij, & millies recocta Crambe. 2.

Quorsum hæc? De instrumentalibus enim causis agit nostra thesis, quas ipsius Dei respectu quatuor posuimus, nempe, pastorem loquentem, & agentem extrinsecus quæ Deus mandauit: in- 3.

ſtitutionis verba planè & intelligibiliter explicata: Sacra panis & vini ſymbola, ſacramentales denique ritus. Noſtri autem reſpectu, vnicam inſtrumentalem cauſam poſuimus, nempe fidem. Quòd ſi quam vim intrinſecam efficientē vllis inſtrumentis tribuit D. Andreas, tot idola fabricat. Vnius enim Dei & Deitatis opus eſt, in ipſis cordibus hominum ſalutem operari. Itaque Iohānes, Baptiſmum quidem aquæ, id eſt externum, ſibi vt miniſtro, interiorem autem, Chriſto vt Domino, non quidem ſeparatè ſed diſtinctè Matth. 3. 11. vt & Petrus 1. Pet. 3. 21. attribuit. Et de toto Euangelij miniſterio ſine exceptione Paulus idem pronuntiat. 1. Corinth. 3. 7. Verbis autem ipſis aliam vim vllam quàm loquentis, vel eius in cuius nomine paſtor loquitur mentis & voluntatis declarandæ tribuere, magorum eſt & ſortilegorum: Sacris denique ſymbolis, putà, Aquæ Baptiſmi, & Pani ac Vino in ſacra Cœna ex Dei ordinatione adhibitis, vel ſacris in illorum adminiſtratione ritibus, vim vllam intrinſecam, quæ intra nos agat aſſignare, mera itidem eſt idolomania: quum ne Angelis quidem ipſis, nedum rebus inanimatis, vel vt Sophiſtæ loquūtur, operi operato, ſit tale quippiam tribuendum. Supereſt fides, inſtrumētum certè efficaciſſimum, ſed duntaxat apprehendendo & recipiendo quod à Deo credenti donatur, & diuina vnica virtute credentis animo inſinuatur, nec ad aliud quicquam idoneum & efficax. Nihil ergo ad rem facit, quod obiicit hîc nobis D. Andreas, de Chriſto vim ſuam in vſu Sacramenti, non tantum illis externis organis teſtificante, ſed etiam in credentium animis exerente. Quod ecquis tandem noſtrûm eſt inficiatus? Quòd ſi quam aliam vim Sacramentalem intrinſecam & Spiritualem imaginatur, agedum clariùs ſeſe explicet, vt illi vel aſſentiamur, vel vt pleriſque aliis, ſi veritas hoc ferat, repugnemus.

D. I A.

D. IACOBI ANDREÆ NARRATIO ACTIS INSERTA.

POstquam Articulus primus de Cœna Domini absolutus fuit: Theologi Vvitembergici peculiare scriptum adornarunt, (sicut inter collocutores conuenerat) quo ostendebant, in quibus partibus consensus, & in quibus dissensio adhuc esset. Et viam quoque monstrarunt, qua ratione absque offensione conscientiarum, salua & illæsa veritate, pia concordia, in hoc articulo constitui posit. Quod cùm alteri parti exhibitum esset: ipsi suam quoque sententiã peculiari scripto complexi sunt. Cùm autem inter partes conuenire non potuisset: vtrique sua consignatio restituta, & de hoc articulo nihil amplius ad concordiam faciendam tentatum est. Pleraque enim cùm in scriptis vtrinque ante collationem communicatis, tum in collatione instituta, ita explicata sunt, vt omnes facilè videre queant, in quibus consensus aut dissensio esset. Et quæ via ad piam concordiam constituendam sit: satis perspicuè monstratũ est.

D. BEZAE RESPONSVM.

POstremam hãc particulam, quam D. Andreas actis istius primæ disputationis adiectam voluit, idcirco huc apposui quòd haud satis nouerim an ad hoc responsum, necessariò proximis nundinis edendum, mihi tantum superfit temporis, quanto ad totam illam disputationem qualis ab eo collecta est cognoscẽdam & refutandam opus fuerit. Est autẽ istud magni momẽti vt omnes intelligãt, quàm cupidum pacis animum habeãt, qui discordias istas fouent. Quum igitur in omni recta disceptatione primo loco curandum sit, vt de qua re quæratur, siue de statu quæstionis constet, deinde vt inter disputandum nunquam à quæstione aberretur (quorum neutrum vnquam à D. Andrea impetrari posset, modo ab vna ad alteram transeunte, argumenta cumulante, nihil prorsus syllogisticè concludente) operæpretium nos facturos putauimus, si obtineremus finita capitũ singulorum disputatione, vt breui scripto quibus de rebus inter nos conueniret, & de quibus adhuc contro-

uerteretur, vtrinque collato scripto quopiam comprehenderemus. Sic enim futurum sperabamus vt tum iis occurreretur, qui velut veriti ne non satis sit in Ecclesiis dissensionum, dissidere nos sibi & aliis persuadent in quibus tamē summus est consensus: tum hunc saltem fructum ex hac collocutione referremus: vt vbi constitisset de nonnullis demum inter nos ambigi, quæ saluo manente doctrinæ de Cœna Domini fundamēto, possint à nonnullis ignorari, paulatim mitigatis animis, alii sese aliis propiùs adiungerent. Sed hoc quoque frustra fuit, quum nos quidem sedulò tum ex scriptis Antithesibus, tum ex habita disputatione, capita nostræ dissensionis collecta ipsis obtulissemus: illi verò tum nostra repudiassent, tum sua quædam etiam nobis oblata statim repetiissent. Placuit igitur hic illa subiicere ut qua fide sint à nobis acta omnia, & vtri ad hanc collocutionem rectum & simplicem animum attulerint, lectores omnes intelligant.

Inter Reuerendos Dominos collocutores VVirtembergenses & collocutores Berna & Geneua missos ad postulationem Illustriss. Principis ac Domini, D. Friderici Comitis VVirtembergensis & Mompelgartensis &c. vtrinq; protestatos se vt priuatos agere, quæ agerent, nullo cum cuiusquam præiudicio, duabus de rebus actum est in negotio de sacra Cœna Domini, nempe de præsentia Sacramentali Signorum & rerum significatarum, & eorundem perceptione.

Quod ad priorem partem attinet vtrinque consensum est.

1 *Sacramentum Cœnæ Domini constare duabus rebus, nempe Signis & Rebus significatis.*

2 *Signa esse, ex Domini institutione, panem & vinum: Res autem significatas, illud ipsum corpus traditum pro nobis, & illum ipsum sanguinem pro nobis effusum.*

3 *Beneficia Christi in legitimo sacræ huius actionis vsu non esse separata ab ipso Christo, à quo proficiscuntur.*

4 *Hæc signa & res significatas non alia ratione, quàm coniunctione Sacramentali copulari.*

5 *Quòd ad Deum nobiscum paciscentem attinet, & semper veracem,*

racem, nunquàm nuda esse signa, sed vtraque hæc Sacramentaliter sic coniuncta, uerè semper quibusuis accedentibus, siue dignis siue indignis præberi.

6 *Hoc sensu, id est huius Sacramentalis coniunctionis respectu veteres patres dixisse, corpus Domini esse In, Sub & Cum pane.*

In his autem non consensum est.

1 *Quòd Reuerendi Domini collocutores Virtembergenses censent in Sacramentali coniunctione tam signa, quàm res significatas suis substantiis & reipsa in terris, quamuis non physice nec localiter, tamen verè simul & inseparabiliter copulari: ac proinde ori quorumuis, siue dignorum, siue indignorum accedentium exhiberi.*

Collocutores autẽ alterius partis in coniunctione Sacramentali, quam duntaxat relatiuam faciunt, docent res quidem significatas, id est corpus & sanguinem Domini, non alibi nunc quàm in cælis esse & permanere, quorum signa sunt in terris, ac proinde illas quidem menti, ista verò ori quorumuis accedentium præberi.

2. *Istis phrasibus, In, Cum & Sub pane & vino R.D. collocutores Virtembergenses intelligi censent illam suam Sacramentalem coniunctionem realem Substantiarum in terris, qua fiat, vt vtraq; illa, nempe Signa quidem Physicè & localiter: corpus autem & sanguis Domini, nec Physicè nec localiter, sed imperscrutabili quodam modo verè & simul in terris adsint, & ori quorumuis accedentium præbeantur.*

Alterius autem partis collocutores docent, illis phrasibus nullã aliam coniunctionem, quàm illam relatiuam exprimi.

In altero autem capite de perceptione Sacramentali Signorum & rerum significatarum consensum est.

1 *Signa, sicut quibusuis, siue dignis siue indignis accedentibus præbentur, ita à quibusuis sumentibus ore recipi, à dignis quidem ad vitam, ab indignis verò ad condemnationem.*

2 *Solam Spiritualem perceptionem per fidem, & dignè acce-*

dentium propriam, qua res significatas accipiant, esse saluificam.

3 *Perceptionis illius rerum significatarum modum esse imperscrutabilem, & , vt loquitur Paulus, verè mysterium magnum & adorandum non perscrutandum.*

In hoc autem non est consensum.

Quòd R. D. Collocutores VVirtembergenses, sicut vtraque simul & inseparabiliter, vt dictum est ori quorumuis accedentium præberi censent: Sic etiam credunt à quibúsuis eodem oris instrumento, nec tamen, quod ad res significatas attinet, physico & locali, sed imperscrutabili modo percipi, à dignis quidem ad vitam, ab indignis ad condemnationem.

Alterius autem partis collocutores docent, sicut soli menti res signatæ præbentur: ita à solis fidelibus, (vt qui soli vnicum illud mentis instrumentum afferunt) quo Christus cum suis beneficiis apprehenditur, spiritualiter percipi: ac proinde indignos fieri reos corporis & sanguinis Domini, non quòd illa indignè sumpserint, sed quòd ea per suam incredulitatem & impœnitentiam repudiarint.

THESES THEOLOGORVM VVIRTEMBERGICORVM, DE PERSONA CHRISTI.

EXTRA controuersiam est, quòd Filius Dei æternus assumpserit in tempore humanam naturam anima & corpore constantem, ex substantia, carne & sanguine virginis Mariæ: qua ratione per omnia (peccato excepto) nobis fratribus suis similis est factus. Assumpsit autem humanam naturam in vnitatem personæ, ita vt in Christo non sint duæ personæ, sed vnica tantùm, & vnus tantùm Christus: neque hæc persona in omnem æternitatem solui potest.

II.

Etsi autem duæ naturæ in Christo arctißimè sint copulatæ, tamen non est facta earum confusio, qualis est, cùm ex duobus integris fit quiddam tertium: vt, cùm ex aqua & melle fit mulsum. Neque vna natura in alteram est mutata. Et quemadmodum diuinitas non conuersa est in humanitatem: ita neque humanitas mutata est in diuinitatem, vel ante, vel post ascensionem Christi in cœlum. Ad integram enim personam mediatoris Christi, requiruntur duæ naturæ.

III.

Constat etiam, quòd quælibet natura in Christo suas habeat & retineat proprietates: verbi gratia, diuinæ naturæ proprietates sunt, esse omnipotentem, æternam, infinitam, &c. Humanæ naturæ proprietates sunt esse, corpoream creaturam, finitam, circumscriptam, quæ possit pati, mori, &c. Nec in omnem æternitatem proprietates vnius naturæ, fiunt proprietates alterius naturæ: inde enim sequeretur naturarum confusio, imò etiam earum abolitio.

IIII.

Præter proprietates naturarum in Christo, sunt etiam in Christo homine dona creata: quibus ille omnes homines & Angelos superat. Sed hæc non in considerationem veniunt, quando de proprietatibus naturarum in Christo disputatur.

RESPONSIO AD THESES DE PERSONA CHRISTI, A DOMINIS Collocutoribus, Mart. 23. exhibitas.

Antitheſis I. & II. Th. Bezæ.

Vtramque probamus.

Antitheſis III.

Aſſentimur, & valde probamus illam formulam qua dicitur, [1]proprietates nunquam egredi ſua ſubiecta.

1. Non vſi ſumus hac phraſi, tametſi rectè intellecta non improbatur, vos autem ea ad verbalem communicationem abutimini.

Antitheſis IIII.

Aſſentimur, & hîc probamus diſtinctionem inter [2]gratiã vnionis, qua homo ille eſt Deus, & gratiam quam habitualem vocant, ex illa profluentem, per quam Humanitas illa tot tantiſque donis & qualitatibus ornata eſt, vt ſit ſupra ipſos etiam Angelos, accepto in res omnes creatas imperio, inenarrabiliter euecta.

2. Quid gratia Vnionis ſit, & complectatur de eo diſputatio eſt.

AD MARGINALES ANNOTATIONES D. Iac. Andreæ, Reſponſio.

1. Viderit D. Andreas, ſi ſeriò hic loquitur, quî tueri poſſit, tam multa illa Brentiana, & ſua etiam iſta, *inter inhabitationem Dei in ſanctis & in Chriſto, hoc VNVM eſſe diſcrimen, quòd Sanctis diſtribuat ſua dona dimenſa, Chriſto autem immenſa: & Chriſtum hominem hoc habere commune cum omnibus ſanctis, quòd cum eo Deus perſonaliter fuit vnitus.* Cui manifeſto Neſtorianiſmo in diuiſione Perſonę, & perſpicuo Eutychianiſmo in proprietatũ confuſione, ſi ex animo renuntiauit, hoc factum ipſi & eius ſociis ex animo gratulamur. Cæterùm, illa phraſi, *Proprietates nunquam egredi ſua ſubiecta*, ſi nos vti diceret ad verbalem noſtram communicationẽ aſſerendam, verè diceret, nos autem illa abuti falsò & calumniosè dicit. Communicationẽ enim proprietatum in enuntiatis concretis, in quibus Perſona tota ab altera tãtùm natura denominatur, & ſubiecto

iecto concreto proprietas alteri naturæ conueniens attribuitur, vt quum *Deus gloriæ* dicitur *crucifixus*, & *Filius hominis loquens in terris cum Nicodemo*, *fuisse in cœlis*, nos verbalem vocamus: non quòd intra verba consistat, siue quòd verbo tenus vera sit, (nam contrà, si seruata penitus vocum proprietate, Deum de Christo tantùm vt Deo, & Filium Hominis tantùm, vt de Homine intelligas, falsissima & impia fuerit:) sed quòd sit genus prædicationis siue formula loquendi, qua fit vt, propter vnitatem Personæ inseparabilem, tota Persona, cõcretis etiam solius alterius naturæ nominibus Dei vel Hominis, intelligatur. Sic enim etiam interdum, propter hypostaticam etiam vnionem, (in qua tamen duæ perfectæ naturæ non concurrunt) Caro & Anima, pro toto homine, συνεκδοχικῶς intelligitur. Hunc autem tropum, quem recentiores Communicationem ἰδιωμάτων, veteres autem Græci variis nominibus appellarunt, in solis concretis vocibus vsurpandum, tuemur hoc ipso verissimo axiomate, *Quòd proprietates sua subiecta non egrediantur*: concretæ verò voces illæ, non subiecta naturarum, sed Personam ipsam in istiusmodi prædicatis declarent. Præterea genus illud dicendi verbale appellamus, vt distinguatur ab ea Communicatione, qua, non quidem proprietates ipsæ Diuinitatis, (vtpote quæ sint hoc communicationis modo ἀκοινώνητοι) sed qualitates creatæ, ex illis Deitatis proprietatibus emanantes, in assumptam illam humanitatem effusæ sunt: cui vt subiecto verè & reipsa inhærent: cuiusmodi donis supra res omnes creatas euectam esse Christi humanitatem, ideſt ad dextrã Patris sedere, & omnẽ in cœlo & in terra potentiã (infra eum tamẽ qui omnia ipsi subiecit) habere profitemur: qua ratione quoq; veteres etiam Patres Christum seipso minorem, & seipso maiorem dixerũt. Hæc illa est igitur verbalis κοινωνία ἰδιωμάτων: quam, licet ab imperitis exagitatã, asserimus. Illam autẽ quam ab Eutychete mutuati sunt Vbiquitarij, qua contendunt reipsa propter hypostaticam vnionem, non homini κατ' ἄλλο, (quod concedimus propter vnitatem personæ indissolubilem) sed & Humanitati & Homini illi reipsa competere: siue quòd initiò ridiculè scribebãt, in Christum, vt in Petrum & in Sanctos, quamuis impariter, id est, in Sãctos quidẽ dimensè, in Christũ autem immensè dotes fuerint effusæ: siue quod (vti nunc σοφὸν istud φάρμακον, non minùs tamen ineptè accommodatum, à Kemnitio mutuati, loquuntur,) ὁ λόγος quicquid agit, agat cum Humanitate assumpta, illam, inquam, imaginariam communicationem, verbalem certè non appellamus: multò minus realem: sed

vt falsam, impiam & blasphemam detestamur. Et quoniam ex ista commentitia communicatione Omnimaiestatica, Vbiquitarios video duplicem illum suum grauissimum errorem, Consubstantiationis videlicet (quantumuis nunc illam verbo negent,) & oralis manducationis deriuare: Christianum lectorem admonitum velim eius manifesti dissidij inter veros Vbiquitarios, & alios, D. Lutheri nihilominus sententiam suo modo intellectam asserentes, quod D. Andreas studiosè in hac tota collocutione, (quum tamen maximi sit momenti) dissimulauit. Nam isti quidem, realem illam Essentiæ corporis Christi, In, Sub vel Cum pane præsentiam, & oralem tum dignis tum indignis communem manducationem, à verbis institutionis meritò petendam censent: in quorum interpretatione ab illis dissidemus. Vbiquitarij verò, ab hypostatica vnione (quam etiam per Sessionem ad dextram Patris, vt per ipsius consequens, definiunt) dogma illud vtrumque deducentes, satis ostendunt sese non aliam in pane, quàm in cæteris rebus omnibus, realem & Essentialem corporis Christi præsentiam statuere: ac proinde institutionis verbis non aliud quàm oralem illam perceptionem tribuere: adeo quidem vt D. Andreas apertè, non semel dixerit & scripserit, sese, nisi Omnipræsentia illa siue Omnimaiestas, vt hypostaticæ vnionis effectum, sibi concedatur, ne verbum quidem de institutionis verbis cum Zvvinglianis & Caluinistis, quos vocat, vnquam commutaturum. Quod vtinam & hi & illi, potiùs quàm diutiùs inter se & nobiscum contendant, animaduertere tandem possint, neutrum horum dogmatum stare, nisi falsissimis positis principiis, posse, quibus necessariò, & hypostaticę vnionis definitio, tam perspicuè & tam dilucidè contra Nestorianos, Eutychianos, Monophysitas, Monothelitas defensa subuertitur: & corporis Christi tum veritas, tum ascensio in Cœlos, permansio in cœlis, & è cœlis reuersio, (quæ omnia propriissimis verbis & nullo modo figuratis, Sacrosancto Dei verbo sunt testatissima) manifestè abrogantur. Tribue hoc bonorum & pacis amantium omnium precibus, Fili Dei Iesu Christe Seruator & Redemptor noster: & exoptatissimam illam renascenti ex tam densis tenebris Ecclesiæ tuæ ὁμοφροσύνλω, aduersus communem illum hostem Antichristum Romanum, & cæteras hæreses omnes, pro misericordia singulari tua concede.

2. Si verè & ex animo D. Andreas, superiores illas Theses scripsit, de vnitione ipsa inter nos conuenit, vt & de illius effectis duobus, nempe de Humanitatis subsistētia in Verbo non in sese, & de creatis

tis innumerabilibus illis donis in carnem glorificatam effusis. Effectum autem illud Omnimaiestaticum, non hyperphysicum sed antiphysicum, Humanitati siue subiectiuè attributum, sanè illud est in quo D. Iacobo Andreæ ne cum Lutheranis quidem saniorib⁹ conuenit.

Thesis V. Vvirtemb.

In persona Christi est communicatio quædam proprietatum, qua toti personæ tribuitur, quod alteri⁹ naturæ est proprium: & de vna natura pronuntiatur. Vnde doctrina de communicatione Idiomatum in Ecclesia orta est.

Antithesis V. Th. Bezæ.

De persona Christi interdum prædicantur voces, vtrique naturæ siue toti Christo conuenientes: vt, cùm Christus, & Iesus, & Mediator, cæteríque eiusmodi nominibus appellatur. Interdum verò [1] propter vnitatem personæ, ab altera tantùm natura denominatur, ídque dupliciter: interdum enim habet prædicata illi ipsi naturæ conuenientia, à qua [2] denominatur: vt cùm dicitur Deus benedictus, æternus, omnipotens, &c. quemadmodum etiam si dicas, hominem illum fuisse passum, mortuum, pro nobis crucifixum, &c. Et istiusmodi enuntiationes sunt maximè [3] propriæ. Interdum verò habet prædicata toti quidem Christo, quia vnica est persona indissolubilis, verè & propriè conueniẽtia: at non tamen ei naturæ [4] in sese, ne in vnione quidẽ consideratæ, competentia, à qua [5] denominatur: vt cùm dicitur, Deus redemisse Ecclesiam suo sanguine, & Dominus gloriæ crucifixus, itémque filius hominis in terris loquens cum Nicodemo, fuisse in cœlo: quod loquendi genus à veteribus vocatur ἀντίδοσις, à recentioribus, communicatio proprietatum. Hæc autem prædicatio vsurpari non potest, nisi in concretis [6] nominibus: quoniam tota persona Christi nunquam in abstracto, ab vlla duarũ

1. Hanc vnitatem sola conbinatione, sine reali communicatione priorũ intelligitis & describitis: quod falsum esse demonstrabitur.
2. Non denominatur tantùm, sed alteri naturę realiter communicatur.
3. Enũciationes illæ nõ sunt propriæ sed inusitatæ: quia res, hoc est, Mysterium vnionis naturarum est inusitatũ.
4. IN SESE, æquiuocũ est, aliâs proprietatem naturæ denotans, aliàs communicationẽ realem factam significans.
5. Non est denominatio tantùm Grammatica, sed realis communicatio.
6. In concretis vocabulis latet error aduersariorum, quem vocabula abstracta aperiunt.

suatum naturarum denominatur. Et ex huius inter concreti & abstracti voces discriminis ignoratione orta est hæresis, tum [7] Nestorij, qui Deum (nempe τὸν λόγον) negabat, & filium esse Mariæ, & crucifixum fuisse: tum Eutychetis, qui [8] Deitatem Christi passam asserebat. Stat ergo illa [9] regula vniuersalis: Neque naturam de natura, neque proprietates vnius naturæ posse alteri attribui.

7. Nestorij hæresis nequaquam ex ignoratione harum vocum orta. Quia Nestorius vnam singularem personam confessus est, sed communicationem idiomatum negauit: inde hæresis eius orta est.

8. Non ideo hæreticus iudicatus: quia Cyrillus idem dixit: sed quia vnam tãtùm naturam in Christo post assumptionem in cœlum asseruit. 9. Regula falsissima, quòd proprietates vnius naturæ, non possint alteri tribui: Nam hæc hæresis Nestoriana fuit.

Ad marginales refutationes.

1. Combinationis vox tota Nestoriana est, binas personas constituens, vt apparet ex anathematismo Ephesinę Synodi octauo. Realis autem illa communicatio merè Eutychiana est, & hypostaticæ vnionis definitione euertitur. Quod enim pluribus naturis re ipsa commune fit, quocunque modo id fieri somnietur, proprium esse desinit vnius: in hypostatica autem vnione, vt distinctæ, sic indiuisæ & inconfusæ manent proprietates.

2. Diuinet qui poterit quid hic sibi velit D. Andreas, id est quid sit, Christum, non denominari tantùm, sed etiam alteri naturæ realiter communicari.

3. Quasi verò de re inusitata nihil propriè dici possit, id est vocibus propria sua significatione vsurpatis explicari. Doceat ergo nos D. Andreas in hoc enuntiato, ὁ λόγος est Homo, & Homo ille est ὁ λόγος, vel subiectum vel prędicatum, vel copulam, alia quàm natiua significatione accipi. Posita verò singulari, tum subiecti, tũ prædicati, tũ copulæ, tum ipsius attributionis proprietate, consequitur, prædicationẽ quidẽ, & ipsam enuntiationis sententiã esse inusitatam: sed tamen propriã. Sed quid hoc ad rem? Nec enim de huiusmodi enuntiatis hic egimus, sed de illis, *ὁ λόγος est Æternus, Omnipotens*, &, *Homo ille est passus, crucifixus & mortuus pro nobis*: in quibus, quid tandem quisquam vel figuratè vel inusitatè dictum inueniat?

4. Immo nulla hîc homonymia. Nam *In Sese* constat nihil aliud hîc significare posse quàm suiipsius respectu, cui opponitur κατ' ἄλλο non κατ' ἄλλον: neque accipi potest pro *Per Se*, quæ formula, interdum idem declarat atque *Seorsim* vel *distinctè*: interdum pro

Ex

Ex Seſe, id eſt, ſua natiua & intrinſeca, non autem aliunde aduentitia virtute: qua phraſi noſtrum non eſt, ſed vbiquitariorum ſepiſſime abuti. Deinde quorſum iſtud de natura reſpondet D. Andreas. In iſtis enim enunciatis per ἀντίδοσιν, neque Dei, neque hominis vocabulũ de natura, ſed de perſona dicitur, ὅλως & quatenus vna eſt, conſiderata. Quod ſi ignorat, vel ſcire ſe diſſimulat D. Andreas, an propterea ſumus hæretici?

Rurſum hoc quàm non aptè? Nec enim hic agitur de denominatione prædicati, ſed Subiecti: quod quum pro tota Perſona ſupponat (vt in ſcholis loquuntur) abſit vt hãc denominationem aliam quàm realem & reipſa conuenientiſſimam eſſe dicam, quum à reali & veriſſima naturarum perſonali vnitione naſcatur. 5.

Imm ò omnis & D. Andreæ & ipſius ſociorũ inde error promanat, quòd inter Abſtractas & Concretas voces non diſtinguant, cuiuſmodi ſunt in hoc argumento Deitas & Deus, Humanitas & Homo, in vnico Chriſti ſuppoſito: & idcirco quęcunque huic Homini tribuuntur, tribui etiam volunt Humanitati, Eutychiano prorſus errore, contra hypoſtaticæ vnionis definitionem. Sciendũ eſt igitur, Abſtracta Humanitatis voce naturam humanam ſignificari, qualis eſt in ſeſe, ſuis eſſentialibus proprietatibus à cæteris naturis diſtincta, & ſibi vt ſubiecto inſitis qualitatibus prædita. Eſt enim quiddam νοητὸν, mente & cogitatione abſtractum, interdum quidem ab omnibus eiuſdem ſpeciei indiuiduis, quod Logici vocant Speciem, abſque vlla indiuiduationis ſiue vllius indiuidui ratione, ideóque vnum & idem, vt Humanitas vniuerſaliter cõſiderata: interdum verò non ab omnibus complexum indiuiduis, ſed ab aliquo duntaxat abſtracta, nullam quidẽ indiuiduationis ſiue ſubſiſtentiæ, ſed tamen aliquam eius indiuidui cui inexiſtit reipſa, & à quo per cogitationem abſtrahitur, rationem habens, vt Humanitas Chriſti, Humanitas Petri, ſiue, vt loquuntur in ſcholis, hæc vel illa Humanitas: quo ſenſu tot ſunt Humanitates quot ſunt homines. Concretis autem vocibus, ſemper ſignificatur, ſiue vt expreſſiùs etiam loquuntur Scholaſtici, connotatur, vltra naturam quippiam eam ipſam naturam habens, ſiue generaliter conſideretur, vt quum Hominem dicimus, id eſt humanitate prædituin animal, (quo ſenſu Homo itidem eſt ſpeciei nõ indiuidui nomen:) ſiue vt in indiuiduo quopiam ſubſiſtens ſpectetur, vt, Hic, vel ille Homo, Chriſtus Homo, Petrus Homo, &c. Et hæc quidem in rebus creatis valent, cuiuſmodi eſt Humanitas Chriſti, creatis inquam ſubſtãtialibus non denominatiuis. Nam de Accidentalibus, vt Al- 6.

bum: vel ſubſtantialibus denominatiuis, vt Animatum, hîc non agimus. In diuinis verò perſonis, etſi propter ſummam Entitatem & ſimplicitatem, vnum & idem eſt Eſſentia & Eſſe, id eſt Deitas & Deus (quarum vocum neutra poſita eſt tantùm in mente, ſicuti de Humanitate & Homine diximus, ſed reuera & propriè EST) hoc tamen non obſtat quominus hæc duo cogitatione diſtinguantur, etiam quum Dei appellatio Eſſentialiter accipitur: nempe Deitas quidem vt id quod habetur, Deus verò vt id quod Deitatem habet: quamuis hic reipſa vnum & idem ſit, quod habetur, & qui illud habet, ſola relatione citra compoſitionem, habente quādam principij indiuiduationis in perſonis diuinis rationem, vt rectè & acutè ſcribit Thomas. Huius autem diſtinctionis certiſſimum eſt argumentum, quòd blaſphemum fuerit dicere, Deitatem genuiſſe Deitatem, quia ſic multiplicaretur Deitas: Deum autem ex Deo genitum Chriſtiani omnes profitentur, ea videlicet generatione quæ ſic Perſonas diſtinguit vt τὸ ὁμοούσιον non diuidatur. Deinde & hoc notandum, Deitatem ſemper vt vnicam & quidem Eſſentialiter ſumi aduerſus Tritheitas, quanuis additis notionibus propriis, diſtinctè in ſingulis perſonis ſpectetur, aduerſus Sabellium: Dei verò appellationem tribus modis accipi: nempe Eſſentialiter, vt quum nos dicimus in vnum Deum credere: Perſonaliter, & pro Patre, & pro Filio, & pro Spiritu Sancto, cuius locutionis exempla paſſim occurrunt: tertio denique modo pro Chriſti Dei & Hominis Perſona, ſiue pro toto Chriſto, ab altera tantùm natura diuina denominato per ἀντίδοσιν ſiue ἰδιωμάτων communicationem, vocamus, vt quum Deo gloriæ tribuitur ſanguis quo nos redemit. Hæc eſt igitur Abſtractarum & Concretarum vocum diſtinctio: quam, etſi in diſputatione pag. 224. viſus eſt adumbrare D. Andreas, tamē reuera ſcire ſe diſſimulat, tribus paginis proximè ſequentibus, quum *HOMINEM ſi abſque certa denominatione ponatur,* (id eſt niſi ad certum indiuiduum reſtringatur) *ait non eſſe Concretam ſed Abſtractam vocē, vt & Humanitatis nomen: quoniam,* inquit, *ſunt in eodem prædicabili, nempe ſpeciei: tum demum autem eſſe Concretum nomen, quum de aliquo dicimus, hic Homo.* qua de re rurſus apertius infra ad theſin meam diſſeremus. Enimuerò ſi verum illud eſt, id quoque neceſſariò efficeretur, tam Concretam eſſe hanc appellationem, Hęc Humanitas, quàm eſt, Hic Homo. Dicat igitur D. Andreas, tam veram eſſe hanc enūtiationem, hæc Humanitas eſt Deitas, quàm hæc vera eſt, hic Homo eſt Deus: ac proinde quum illa quidem falſiſſima ſit, hæc autē veriſſima, rogo illum per Ieſu Chriſti

sti nomen, vt Abstracta cum Concretis à se confundi, & quantus inde nascatur error tandem intelligens, seipsum retexat, & pacem Ecclesiis reddat. Nam, vt vno verbo totam hanc controuersiam absoluam, quum ipsemet fateatur ab vnione naturarum pendere illam quam imaginatur Omnipotentiam, Omnipræsentiam, & cætera omnia, quæ reipsa vult huic Humanitati tribui: quâ ratione falsa est hæc enuntiatio, Humanitas Christi euasit Deitas per Hypostaticâ vnionẽ eâdẽ, tam falsâ, tam impia, & tam blasphema, est necessariò, omnis illa ἰδιωμάτων Deitatis illi Humanitati assumptæ attributa communicatio. Nec quicquam minus verè & aptè dici potest illo Kemnitij perfugio, quòd videlicet ista illi Humanitati non subiectiuè attribuantur. Videbat enim Kemnitius alioqui fore vt cogeretur duas Substantiales Omnipotentias statuere, vel vnam Substantialem, alteram Accidentalem, vel Substantiam dicere Substantiæ inesse. Sed illo perfugio quid efficit? Nihil certè nisi vt falso fundamento falsum ędificium superstruat, quum ex vera abstractarum vocum definitione liqueat, nihil verè dici de Humanitate posse, nisi quod vel ipsa est Essentialitas (vt si Humanitatem Christi dicas esse Substantiam, corpoream, animatam, ratione præditam) vel quod accidentaliter & Subiectiuè ipsi insit (cuiusmodi sunt, tum quæ nostri causa tempore suę infirmitatis pertulit, tum ineffabilia illa dona, quibus Humanitas Christi nunc est, præsertim post depositam omnem illam carnis assumptę infirmitatem supra res omnes creatas exornata.) Cur autem in Concretis vocibus hæc falsitas nõ inueniatur, non hæc simpliciter causa est quòd hic Homo sit vox Concreta, hæc Humanitas autem sit Abstracta: (Nam *Huic Homini in seſe* siue subiectiuè, non magis tribui diuinæ naturæ proprietates possunt, quàm *Huic Humanitati*) sed propterea quòd neque *Hic Homo* in Christo est ὑπόστασις, neque *Hæc Humanitas* est ὑφιστάμενον secundum se, siue suiipsius respectu, sed in persona Filij Dei, *Hic Homo* hac Humanitatis natura præditus subsistat, saluis, & assumentis personæ Filij, & assumptæ illius Humanitatis proprietatibus. Hinc enim fit vt quamuis hæc Humanitas non euaserit Deitas, propter saluas in vnitione proprietates, tamen propter vnitatem Personæ *Hic Homo*, non quidem quâ *Homo*, siue suæ naturæ respectu, sed propter suam in Filio Dei subsistentiam, sit verus ille Dei Filius. Hinc enim illud quoque fit, vt & Dei, nempe τοῦ λόγου, & Hominis illius vocibus in Concreto tota Christi Persona sæpe denominetur, quod est ἀντιδόσεως, illius fundamentum. Qualis enim est Vnitio, vt causa, talis sunt phrases

ex illa vnitione promanantes. Quæ omnia fusiùs idcirco hoc loco explicare volui, quòd in istis rectè cognitis tota huius controuersiæ explicatio, id est totius Nestorianismi & Eutychianismi subuersio vertatur.

7. Ergo si D. Andreæ creditur, non ipse, sed ego Nestorianus fuero, quod etiam ipsius inter disputandum conuitium patienter tuli. Res autem ita se habet. Nestorius, homo vafer simul & naturali facundia præditus, neque cum Samosateno Subsistentiã Filij Dei, neque cum Sabellio & Photino distinctionem personarum sustulit, neque veritatem integræ humanę naturæ negauit, immò ne naturas quidem duas in Christo concurrentes inficiatus est, & ἕνωσιν quoque προσωπικὴν vocabat, sed malè declaratam vt testatur Damascenus lib. 3. cap. 3. ideóque & antequam damnaretur, & post damnationem in Ephesina Orthodoxa Synodo, in qua aduersarium acerrimum habuit Cyrillum Alexandrinum, visus est nonnullis cum Orthodoxa fide consentire: sed partim ex plurimis suis scriptis, partim ex sua ipsius confessione, quum Mariam Deiparam & Deum à Iudæis crucifixum fuisse negaret, compertus est, vt duas naturas, sic etiam duas personas constituere: quarum vna, nempe ὁ λόγος, alteri quidem inseparabiliter adsit, sed, vt alter cum altero, secundum dignitatem siue auctoritatem & potestatem, ita vt aliæ quidem voces soli Homini propriè conuenientes, aliæ verò veluti soli verbo, quod est ex Deo Patre, congruentes, tribuantur: & Homo assumptus vnà cum Deo verbo coadoretur & conglorificetur & collaudetur, atque adeo dicatur quidem Deus, sed vt coniunctus alter cum altero. Hanc, inquam, fuisse Nestorij hæresin, liquet tum ex Synodorũ Ephesinæ 2. & Chalcedonensis actis, tum ex Cyrillo, tum ex Socratis historia, tum ex Theodoreto de diuinis nominibus, tum ex Vigilio, Nicephoro, Cassiano, Theodoro Rhetensi, ex omnibus denique Græcis & Latinis probatis scriptoribus. Quid autem D. Andreas? *Nestorium*, inquit, *vnam singularem personam confessus est*. Vtri verò testimonio fidem habebimus? Quod enim ex epistola 2. Nestorij ad Cyrillum citat, ostendit quidem Nestorium duas naturas credidisse, Vnionem autem hypostaticam nunquam, ne verbo quidem confessum, sed coniunctionem tantùm. Nũc autem errorẽ (quod hîc negat D. Andreas) inde quoque fuisse profectum quòd concretas voces, *Dei Verbi* & *Hominis*, ab abstractis *Diuinitatis & Humanitatis* vocabulis nõ discerneret, Age, ne longiùs abeamus, ex ipsis eiusdem D. Andreæ sibi ipsi contradicentis expressis verbis probemus, qui pag. huius Colloquij

quij 236. *Neſtorius*, inquit *ſub vocabulo, Deus, Diuinitatẽ τῶ λόγω intellexit, quæ à perſona λόγω ſeparari nõ poteſt. Quapropter etſi à verè & ingenuè confeſſus eſt, quod Ieſus Chriſtus ſit verus Deus: non tamen Deũ paſſum, aut crucifixum eſſe, dicere voluit. Hæc enim Humanitatis propria dixit eſſe: ideóque ad ſolam humanitatem eius referenda.* Ex his autem verbis primùm velim Chriſtianum lectorem obſeruare, quàm ſcienter his de rebus D. Andreas loquatur, & annon verè poſſit huc referri quod narrat Socrates de ipſo Neſtorio, & eius presbytero Anaſtaſio lib. Eccleſ. hiſtoricæ 7. cap. 34. & repetitur à Nicephoro lib. 14 cap 32. & 33. illum videlicet veterum ſcripta neglexiſſe, nec etiam quid ipſe diceret & ſentiret ſatis cognouiſſe. Quid enim iſtud eſt, quod ait D. Andreas, *Diuinitatem*, τῶ λόγω à λόγω *Perſona non potuiſſe ſeparari?* At cur non potius, *Quæ eſt ipſemet* λόγος? Deinde, cur non potiùs *à Chriſti* quàm *à* τῶ λόγω *Perſona*? Quis enim vnquam ſuſpicatus eſt Neſtorium exiſtimaſſe τῶ λόγω perſonam eſſe aliquid compoſitum? quod fortaſſe ne Arrius quidem dixiſſet, quamuis creatum illum eſſe doceret. Immò hoc quæritur, an τὸν λόγον Neſtorius putauerit eſſe verè factum carnem, an potiùs totidem conſtituerit perſonas quot ſunt in Chriſto naturę. Nec ſatis ad illum excuſandum valet quod ait D. Andreas, illum videlicet nõ ſeparaſſe τὸν λόγον à Chriſti carne. Nam hoc ipſum eſt quod Orthodoxos nonnullos fefellit, donec illis aperiret oculos Cyrillus, oſtendens diſſolui quoque & diuidi Chriſti perſonam ab eo, qui τὸν λόγον inſeparabiliter cum aſſumpta carne coniunctum fateretur, niſi pro *Coniunctum*, diceret, *Vnitum*, & quidem ad vnicum ὑφιστάμενον per carnis ſubſiſtentiã in illa Verbi ſecunda Trinitatis perſona conſtituendum, vt iam Chriſtus non ſit θεόφορος, (vt dicebat Neſtorius,) ſed verè θεάνθρωπος, vt citra διαίρεσιν, ſic etiam citra σύγχυσιν. Valde igitur hallucinatur D. Andreas ſic colligens, Neſtorius non ſeparauit naturas, ergo vnitatem Perſonæ agnouit. In ſumma verò ex illis D. Andreæ verbis liquet Neſtoriũ Dei nomine intellexiſſe Diuinitatẽ, id eſt, Concretum & Abſtractum maximo errore confudiſſe: ac proinde tam falſas ac blaſphemas iſtas enuntiationes credidiſſe, *Deum*, id eſt τὸν λόγον, *Eſſe illum Hominem*, *& illum Hominem eſſe Deum*, (κατ' ὑπόστασιν. videlicet,) quàm iſtas *Diuinitatem*, τῶ λόγω *eſſe illam Humanitatem*, *& Humanitatem illam eſſe Deitatem* τῶ λόγω, quum abſtracta & concreta proiiſdem, teſte D. quoque Andrea, duceret, quum tamen tam veræ ſint illæ & Orthodoxæ propter vnitatem perſonæ, quàm iſtæ falſę ſunt & blaſphemæ propter naturarum confuſionem. Itaque ex eo

dem errore nempe ex ignoratione discriminis Cõcretarum & Abstractarum vocum, quasi ex ex eodem portu soluentes Nestorius & Eutyches, in duos aduersos scopulos impegerũt. Nestorius quidem in totidem personarum, quot sunt naturæ, quamuis inseparabiliter coniunctæ, aberrationem: Eutyches verò contrà, in naturarum, vt & personæ vnitatem. Qualem verò Nestorius coniunctionem naturarum & essentialium alterutrius proprietatũ imaginatus est: talem etiam communicationem ἰδιωμάτων accidentalium vtrinque animo concepit. Itaque tam blasphemum esse existimauit dicere, *Deum esse bimestrem aut trimestrem, conceptum in Maria Virgine, natum, passum, mortuum, sepultum, à mortuis excitatum*, quàm si quis hæc eadẽ Deitati tribueret. Neque dubium esse potest quin paris & eiusdem esse blasphemiæ existimaret, docere, *Hominem illum esse æternum, creatum, Omnipotentem, Omnipræsentem*, quàm si hæc eadem de Humanitate dicerentur, vt qui neque Deum à Diuinitate, neque Hominem ab Humanitate discerneret, quum tamen illa tam verè & de Deo & Homine illo dici fatendum sit (nisi Christi personam dissoluere velimus) quàm horrẽdum fuerit, confusis, vt naturis, sic etiam earum proprietatibus, Humanitati propria illa Deitatis accommodare, id est Humanitatem in Deitatem transformare. Nam qualis est ipsarum naturarum, talis est omnino, & quidem vtrinque, proprietatum vnitio, nempe personalis. His autem sic propositis, & tum ex Dei verbo, non aliter illis phrasibus vtente, tum ex veterum patrum auctoritate probatis, superest vt videamus, quo iure D. quidem Andreas nos vt Nestorianos reprehendat, nos autem illum cõtra, tum vt Nestorianum in personæ dissolutione, tum vt Eutychianum in proprietatum essentialium Diuinitatis confusione arguamus. *Qui separat*, inquit, *naturæ diuinæ proprietates à Christi Humanitate, Deitatẽ quoque ab eadẽ separat, At illas Beza separat, quũ neget carnẽ Christi esse hypostaticæ vnionis virtute factam Omnipræsentem, Omnipotentem, Omniscium, quamuis non subiectiuè siuè in se se, sed in Verbo, neque ex se se, id est sua te natura, vel virtute, sed Verbi cui personaliter & inseparabiliter vnita est. Ergo Nestorianus est Beza, imò etiam Nestoriano deterior. Nestorius enim Communicationem duntaxat proprietatum Humanitatis impugnauit: Beza verò communicationem quoque proprietatum Diuinitatis negat.* Quid audio? Ergo D. Andreas quoque semi Nestorianus est, vt qui cum Nestorio communicationem proprietatum Humanitatis neget: Nestorio quidem in eo imperitior, Nec enim ignorauit Nestorius, quamuis Deitas ab Humanitate nihil acceperit, immò illum

lum in forma ſeruili aſſumendo ſeſe quodammodo exinaniuerit, vt loquitur Apoſtolus: tamen reciprocam eſſe & prorſus vnam & eandem Deitatis cum Humanitate, & Humanitatis cum Deitate coniunctionem, neceſſaria & ineuitabili concluſione efficitur, vnam quoque & eandem eſſe eſſentialium vtrinque proprietatum naturarum coniunctionem, quamuis ipſe in altera tantùm parte in qua blaſphemarat, reprehenderetur. Quis enim ignorat de ſimilibus ſimiliter iudicandum: illas autem coniunctiones Deitatis cum humanitate, & Humanitatis cum Deitate, prorſus eſſe reciprocas, imò vtranque eadem definitione prorſus vnicam & eandem eſſe quis non videt? Sed ad rem. Diſtinguo propoſitionem illius collectionis. Nam ſi verbo *Separandi* intelligit D. Andreas diſſolutionem vnitionis, qua fit, vt naturæ, quamuis dicantur, vt reſpondebat Neſtorius, inſeparabiliter coniũctæ, conſtituant tamen ſuum vnaquæque ὑφιστάμενον, tum illam propoſitionem eſſe veriſſimam, totumque adeo ſyllogiſmum concedo: ſed Bezæ nego competere, ideóque hoc ſenſu falſiſſimam eſſe aſſumtionem. Sin verò *Separat*, accipit pro *diſtinguit*, tum proprietatibus eſſentialibus, tum etiam ἐνεργείαις & ἐνεργήμασι, (quomodo nonnũquam veteres, quamuis dura phraſi, aduerſus Sabellium vſi ſunt διαιρέσεως voce) tum ſanè aſſumptionẽ agnoſcit Beza: concluſionem autem negat: eritque hic ſyllogiſmus ex quatuor terminis compoſitus. Non eſt igitur Beza Neſtorianus, ſed orthodoxus, tum duarum naturarum, tum eſſentialium proprietatum, quibus vna ab altera diſtinguitur, vnam & eandem vnitionem, hypoſtaticam videlicet, abſque vlla ſeparatione vel confuſione profitens. Sed de Brentianorum, quorum primus eſt D. Andreas, Neſtorianiſmo ſimul & Eutychianiſmo videamus. Sic Brentius pag. Recogn. 4. *his verbis* (inquit) *Verbũ caro factũ eſt, Nihil aliud ſignificatur quàm quòd Filius Dei Filiũ Hominis* (nota Chriſtiane lector, duos filios) *ſic impleat, vt cum eo omnem ſapientiã, potentiã, ſcientiam, communicet.*) At ſubſiſtentiam præterit. Quorſum verò iſta vox Impletionis ad illas proprietates reſtricta?) Item pag. eâdem. *Iſto Euangeliſtæ dicto, Verbum caro factum eſt* (*quod de Chriſto dicitur, non de Petro*) *diſcrimen Chriſti & Petri eo ſtatuendum eſt, quòd Filius Dei, etſi ſua eſſentia implet Petrũ, ſicut & Hominẽ Chriſtum,* (nõ igitur vnitione perſonali, ſiue καθ' ὑπόστασιν: ſed ſola ἐνεργητικῇ παραστάσει, qui merus & manifeſtiſſimus eſt Neſtorianiſmus) *non tamẽ communicat Petro omnes ſuas proprietates, ſed tantùm nonnullas.* Erit igitur Chriſtus quidẽ diuiniſſimus, at non Deus, Petrus autẽ diuinus tantùm

aliquatenus. Imò omnes ſuas proprietates ne in Chriſtum quidem ὁ λόγος effuderit. Cogitur enim Brentius excipere, æternitatem & αὐτο ϐσίαν, quæ tamen propriiſſimè Deitati conueniunt: & D. Andreas, (ſuo magiſtro hac in re ſapientior, qui carnem Chriſti contendit verè & reipſa ſimul & eôdem momento fuiſſe in vtero virginis in Bethlehem, in præſepi, in ſepulchro & in cælis, atque adeò pag. 143. eiuſdem libri, puerilem cogitationem de rebus cæleſtibus appellet, quod dicit Theodoretus & alij, id eſt, quòd perpetuo conſenſu defendit orthodoxa Eccleſia, corpus Humanũ Chriſti habere in altero ſeculo eandem circunſcriptionem, quam habuit in hoc ſeculo. vti iam mirum non ſit carnem Chriſti etiam eſſe In Sub & Cum pane) ſummã ſimplicitatem, ſiue in circunſcriptionem & finitionem omnem illi adimit, reſpectu præſentiæ in cœlis. Itẽ, pag. 63, (audi, Chriſtiane lector, ipſius Neſtorij voces, anathematiſmo tertio Cyrilli expreſsè iugulatas) *Humanitatem* (inquit) *Chriſti Diuinitati, non* ϐσία *ſed* ἐξουσία, *non eſſentia ſed potentia, nõ natura ſed gloria, nõ ſubſtãtia, ſed Maieſtate exæquam*. Sola igitur ϐσία ab eſſentialib⁹ ſeiuncta ſuis proprietatibus, Deitati propria relinquitur, nec erit ille homo verè Iehoua, & Deus ille benedictus: & illæ aliæ proprietates erunt duplices, niſi fortaſſe D. Brentius exæquationem ſine multiplicatione imaginatur? Quòd ſi duplices ſunt, duæ ſimul euadent coniunctæ naturæ Omnipotẽtes, Omniſcientes, Omnipræſentes, nempe Deitas quidem Eſſentialiter, (vt opinor D. Brentium credidiſſe.) At num etiam Humanitas Chriſti Eſſentialiter? Sic igitur in Chriſti Humanitate multiplices fuerint Eſſentiæ: & non deſtiterit Dominus nouas eſſentias immò nouos Deos creare die ſeptimo. Sin verò accidentaliter: ergo Chriſti Diuinitas fuerit tantùm accidentalis. Et quid non? Sed audiamus iam ipſum D. Andream, multo etiam apertiùs & perſonam diuidentem, & proprietates eſſentiales confundentem, ſeipſum denique expreſſis verbis oppugnantẽ. Is igitur in Diſputatione de Maieſtate hominis Chriſti, theſi 20. *Non eſt imaginanda*, inquit, *aut confingenda alia Dei in Chriſto* (ambigua & periculoſa in ſcriptis Neſtorij phraſis) *præſentia, quàm in reliquis omnibus creaturis, qua vt in creaturis* ἐνεργείᾳ *diſcernitur, quòd alia in aliis agat & operetur, ita in Chriſtum tota effunditur.* Quis igitur ita ſtolidus eſt, vt non videat non aliam Verbi cum illa aſsũpta humanitate coniũctionem, à D. Andrea conſtitui, quàm illam vniuerſalem ἐνεργητικὴν ſola imparitate differentem, & verè Neſtorianam, illo videlicet vulgato verſiculo expreſſam, *Enter, præſenter Deus eſt, & vbique potenter?*

Qua

Qua de re, vt melius etiam constet, ecce eiusdem D. Andreæ verba in Apolog. ad Thes. Ingolstadianas pag. 19. *Res omnes à Deo Subsistentialiter sustentantur.* Quid obstat ergo, quominùs res omnes tam sint totidem Dij, quàm Homo ille, si idcirco Deus est quòd in verbo subsistat, non in sese, vt omnis Ecclesia Christiana constetur? Et pag. 38. *Et Christus Homo hoc habet commune cum omnibus sanctis quòd cum eo Deus Personaliter fuit vnitus.* Quod autem istud monstrum est, Nestorium simul exuere & destruere? Nec enim aliter Nestorius, quamuis impari efficacia & inseparabiliter, Deum Verbum cum illo Homine reipsa coniunxit: Assistentia videlicet, quamuis eminentissima cum auctoritate & potestate: Vnitum autem esse Personaliter, ne cum carne quidē Christi, fuit vnquam confessus. Quorsum verò hypostaticam vnionem vni Christo vindicamus? & quorsum inusitatas illas prædicationes iactauerit D. Andreas, si personalem Vnionem habet Christus cum sanctis, imò (proh scelus) cum rebus omnibus, communem? Idem enim est Subsistentialiter & Personaliter vniri. Et quomodo fuerit ineffabilis ille præsentiæ, & oralis manducationis modus, si ab ea Vnione dependet quæ Christo sit cum sanctis, atque adeo cum rebus omnibus communis? Et quásnam tandem personas in rebus omnibus imaginabimur? Idem Thes. 26. Magistri sui verba repetens, *Humanitatem*, inquit, *Christi, Diuinitati eius non οὐσίᾳ sed ἐξουσίᾳ, non essentia sed potentia, non natura sed gloria, non substantia sed Maiestate exæquamus.* At Orthodoxa Ecclesia extremæ impietatis esse arbitratur, rem vllam creatam vel quàm longissimo & inenarrabili interuallo Diuinitati exæquare: idcóque Christum seipso minorem secundum carnem, seipso maiorem secundum verbi Deitatem contra Eutychen profitetur: neque naturas, neque Essentiales earum proprietates confundens: & tamen, propter Vnitionem hypostaticam, & Vnitatem personæ, hunc Hominem esse verum illum & vnicum Dei Patris Filium, aduersus Nestorium profitens. Quid igitur inter Nestorium & Eutychen & D. Brentij sectatores interest? Certè ne hilum quidem, peræquè enim Brentiani expressis & disertis verbis, quot naturas tot Personas reipsa constituunt, asserentes. *Inter habitationem* Dei *in sanctis & in Christo* (sic Brentij verba D. Andrea repetente, pag. illius Apolog. 37.) *Hoc VNVM esse discrimen quòd Sanctis distribuat sua dona dimensa, Christo autem immensa.* Sed & iidem cum Eutychete, Essentiales proprietates Diuinitatis confundunt, vel potiùs proprietates Esse & Haberi vetant, quum proprium esse desinat quod communicatur: sic scri-

bente D. Andrea Theſ. ſuæ illius diſputat. 22. *Quod Diuinæ per Eſſentiam eſt, id humanæ per Accidens communicatur.* Omnibus autem illis hic communis error eſt, quòd Abſtractas voces cum Cõcretis intolerabili errore confundunt. Sed Neſtorius in eo ſanè fuit pudentior, quòd niſi Vnitione hypoſtatica in παρασατικὴν coniunctionem mutata, deſtitui omni fundamento ſuam blaſphemiam vidit: ideóque, vt hanc ſtabiliret, illam negauit. Sed & Eutyches itidem, quum nonniſi conflatis in vnam duabus naturis, aut vna ab altera abſorpta, ſtare ſuam illam confuſionem animaduerteret, vtrumque errorem affirmauit. At Brentiani certè ſic vniunt quod Neſtorius diſſoluit, vt in hoc colloquio damnat D. Andreas nudam combinationem, quam tamen in ſuis illis Theſibus ponit: & ſic diſtinguũt quod Eutyches confundit, excogitata diſtinctiuncula, *non ſubiectiuè*, vt neque quid illi ſenſerint intellexiſſe videantur, nec ipſi etiam ſatis quid dicãt & ſcribant noſſe. Ignorationem verò Neſtoriani dogmatis à me non immeritò D. Andreæ & eius ſectatoribus tribui, age, ex ipſiuſmet verbis inter ſe penitus repugnantibus probemus. (*Neſtorius*, inquit, pag. huius Colloquij. 234.) *purum*, (id eſt ψιλὸν, nudum) *Hominem ex Maria, natum, paſſum eſſe, & crucifixum ſtatuit, quod ex diametro cum articulis fidei pugnat. Nam de Filio Dei expreſsè, omnes articuli fidei Apoſtolicæ, in Perſona Chriſti loquuntur.* Et hæc quidem verè D. Andreas, cui hanc palinodiam gratulor, ſi ſyncera eſt: quum hæc, iis quę ſuprà citauimus ex ipſius diſputatione & Apologia de vno Petri & Chriſti diſcrimine, & perſonali Dei cum omnibus ſanctis vnione, vt veritas mendacio, aduerſentur. Sed hæc an verè Neſtorio tribuerit: age, ex ipſomet diſcamus, qui pag. 238. *Non tam imperitus*, inquit, *fuit Neſtorius, quin intelligeret Deum verbum non ſine Diuinitate ex Virgine natum.* Et pag. 236. *Neſtorius non negauit Chriſtum, qui ex Maria natus, paſſus, & crucifixus eſt, verum Deum adeóque vnigenitum Dei Filium eſſe.* Hoccine verò eſt, nudum hominem ex Maria natum eſſe? Res autem ita ſe habet. Non dixit Neſtorius Chriſtum fuiſſe nudum hominem eo quidem ſenſu quo Samoſatenus auus ipſius, à qua etiam calumnia illum liberat Socrates: neque negauit Deum verbum fuiſſe cum illa carne coniunctum: ſed vnitum fuiſſe illi carni ſemper negauit, id eſt, Hominem illum, in Filij Dei perſona ſubſtitiſſe: ideóque nõ ſimpliciter ἄλλο καὶ ἄλλο in illo vno & eodem ὑποστάσει (quod Orthodoxum eſt) ſed ἄλλον καὶ ἄλλον illa ſua coniunctione conſtituit. Itaque, ſicut ipſarum naturarum, ſic etiam ἰδιωμάτων vnitionem & in Concretis & in Abſtractis vocibus negauit, illud quidem

quidem impiè, istud autem verè.

De Nestoriano & Eutychiano errore plenissimè in superiore refutatione diximus. Quod autem Cyrillus Deitatē Christi passam dixerit, tū ego credē quum locū protulerit D. Andreas. Illud enim, *Verbum, Passum esse Impassibiliter*, quod citat pag. huius Colloquij 238. in concreto dicitur non in abstracto. Durius est autem quod citat eâdem pag. ex Vigilio, *Diuinitatem clauis confixam fuisse*: sed quod addit Vigilius, *clauis penetrari non potuisse*, & abstractæ vocis illius loco, mox substituit. *Deum Verbum*, satis ostendit nihil minus eum voluisse quàm Dei & Diuinitatis voces in hac tractatione cōfundere. Nec tamen nego veteres, præsertim ante motas Nestorianas & Eutychianas controuersias, hoc discrimen non semper accuratè obseruasse, quid tamen sentirent diligenter ostendisse. 8.

Immò, quum etsi personaliter vnitæ, tamen distinctæ suis proprietatibus naturæ maneant: abstractis autem vocibus, non declaretur persona: sed (vt rectè docet D. Kemnitius priore scripto de duabus in Christo naturis, pag. 185.) naturæ ipsæ & earum idiomata vt per se, siue extra vnionem, siue in ipsa vnione considerantur: communicationem vllam quæ sit quoddam vnitionis effectum, & aliud quàm vel ipsa vnitio, vel habitualis quam vocant gratia, ponere, merus est & intolerabilis Eutychianismus. 9.

Thesis VI. Vvirtemb.

Quum docetur: Filium Dei communicare suas proprietates naturæ humanæ assumptæ: verbi gratia, omnipotentiam, omnipræsentiam: id non sic intelligendum est, quasi Filius Dei in assumptam naturam humanam, ita suas proprietates effuderit (sicuti aliquid ex vno vase in aliud effunditur) vt humana natura, per se, & ex se (etiam in abstracto, seu extra vnionem personalem considerata) habeat peculiarem omnipotentiam, quæ sit iam ipsius non modò propria, verùm etiam ipsius proprietas. Sic enim in Christo constituerentur duæ Diuinitates: & per consequens in Deo non esset trinitas, sed quaternitas. Itaque sic sentiendum est: si vnio personalis solui, & Christi tamen humana natura constare posset: tum humanæ naturæ, neque omnipotentia, neque omnipræsentia rectè tribui posset.

Thesis VII.

Neque statuendum est, humanam in Christo naturam factam esse essentiam infinitam & incircunscriptam: aut in omnia cœli & terræ loca extensam: aut eam tali modo vbique esse, quo Diuinitas vbique est: aut

eam cum diuina natura exæquatam esse. Nihil enim horum, ex vera & reali proprietatum communicatione, consequitur.

Antitheſis VI. & VII. Th. Bezæ.

1. Hæc hæreſis, Neſtoriana eſt lõgè deterior. Neſtorius enim cõmunicationem duntaxat proprietatum Humanitatis impugnauit. Hi verò etiam communicationem proprietarum Diuinitatis negant.

Nos verò vt proximè præcedenti reſponſo diximus, docemus ex hypoſtaticæ vnionis definitione, neque Deitatem, neque Deitatis proprietates de Humanitate vllo modo, ne in vnione quidem, verè dici poſſe.

Ad Marginalem Annotationem.

Duplex hic occurrit ſomnium. Vnum, quòd imaginatur D. Andreas quod falſiſſimum eſt, Neſtorium videlicet Perſonalem Verbi & aſsumtæ carnis Vnionem agnouiſſe: Hoc autem ſi verum eſt, certè in Vnionis perſonalis confeſſione, inter Neſtorianos & Orthodoxos ſummus erit conſenſus. Deleatur ergo vtraque illa celebratiſſima, & non tãtùm perpetuo omnium Chriſtianarum veterum Eccleſiarum conſenſu, verùm etiam Auguſtanæ Confeſſionis expreſso teſtimonio comprobata Synodus vniuerſalis Epheſina ſecunda, & Chalcedonenſis: deleantur tot eruditiſſima, Græcorum & Latinorum patrum, aduerſus hæreſin Neſtorij ſcripta: reuocentur ab inferis tot piorum hominum laboribus damnatæ, & vix tandem abolitæ controuerſiæ, quæ vniuerſum Chriſtianum orbem penè peſsundederunt. Immò maneat potiùs ſalua veritas, & reſipiſcant turbatores Eccleſiarum, qui Neſtorio ab inferis reuocato, & nullo niſi in donorum in carnem effuſorum inæqualitate poſito inhabitationis atque adeo perſonalis vnitionis Dei in Chriſto & in Petro, ſanctiſque omnibus, diſcrimine, quo Spiritu ducantur ſatis ſupérque oſtendunt. Alterum autem ſomnium in eo poſitum eſt, quòd exiſtimat D. Andreas, communicationem duntaxat proprietatum Humanitatis à Neſtorio fuiſse impugnatam: nos verò, quod proprietatum etiam Diuinitatis communicationem negemus, Neſtorianis eſse hac in re deteriores. At rurſus, ſi hoc verum eſt, quãtulo ſpatio D. Andreas à Neſtorio diſtabit? Primùm enim quòd ad vnitionem attinet, apertè ſe Neſtorio aſsentiri profitetur. In denegatione verò proprietatum

tum Humanitatis Deitati verbi communicatarũ, vix latum digitum à Neſtorio diſſidet, profitens, & quidem rectè, *nullam diuinæ naturæ perfectionem vel imperfectionem poſſe accidere*, pag. huius Colloquii, 239. *ac proinde non poſſe Diuinitatẽ illam in ſe recipere paſſiones*, (ideóq; nec conceptionẽ, nec natiuitatem, nec mortem, nec ſepulturam, nec reſurrectionem) *ſed paſſam dici reſpectu carnis ſuæ, quam nimirum paſſa ſit pati, quum impedire illius paſſiones poſſet*, Nam hoc quoque ſenſu nũquam negaſſet Neſtorius, Diuinitatem non in ſeſe paſsam, vtpote quam carni non vniret, ſed tantùm vt inſeparabilem comitem adiungeret: ſed quodammodo compaſsam eſse, ſicut particula illa *Con*, abuti conſueuerat. Ergo hic quoque D. Andreas etſi Neſtorianus non eſt, tamen re non abeſt ab illo certè centum paraſangis. Supereſt communicatio proprietatum Diuinitatis in carnem effuſarum, quam ſi verè ſcribit D. Andreas à Neſtorio non imaginari, certè ne tantillum quidem diſcriminis inter ipſum & Neſtorium inuenietur: immò ſumma in eo quoque conſenſio, quòd pariter vterque concreti & abſtracti diſcrimen tollit. Res autem ita ſe habet. Quum, (teſte D. Andrea pag. 239.) vnio naturarum in perſona Filij Dei, ſit vna & eadem cauſa Communicationis proprietatum: vnionem autem euicerimus denegaſſe Neſtorium: efficitur non minus Deitatis quàm Humanitatis proprietatum communicationem, quicquid dicat D. Andreas, ab ipſo fuiſse ſublatam. Etenim cui dubium eſse poteſt, quin Neſtorium non minùs offenſura fuerit hæc enuntiatio, *Hominem illum eſſe ab æterno, increatum, infinitum, Omnipræſentem, Omnipotentem:* (Sunt enim hæ diuinitatis proprietates inſeparabiles, & quarum vna abſque altera cõmunicari nulla ratione poſſit) quàm iſta, *Mariam eſſe* Θεοτόκον, *Deum fuiſſe in vtero virginis conceptum, ex eâdem natum, paſſum, crucifixum*, Et quum, teſte D. Andrea pag. 236, Dei nomine, Diuinitatem τὸ λόγε, ac proinde viciſſim illius Hominis nomine illam Humanitatem intellexerit Neſtorius, nec aliter Diuinitatem Humanitati, quàm Humanitatem diuinitati annecteret: non minùs certè exhorruiſſet ad illas quas modo dixi enuntiationes abſtractas, Diuinitatis & Humanitatis vocibus conceptas. Nos verò, quos D. Andreas ipſe Neſtorianiſſimus, Neſtorianos appellat, cum Orthodoxa Eccleſia, Neſtorij, perſonam Chriſti diuidentis, blaſphemiam abominamur: communicationem id eſt confuſionẽ ἰδιωμάτων Eutychianam in abſtractis vocibus, qualis eſt illa quam tuetur D. Andreas, deteſtamur, ex vera perſonalis vnionis definitione. Communicationem autem veram ἰδιωμάτων in con-

cretis vocibus,tã Dei.id est τῶ λόγῳ, quam Hominis,aduersus Nestorium, tum ex ipsa vnione hypostatica, tum ex personæ vnitate propugnamus. Iudicet nunc Ecclesia, an quicquam nunc habeamus cum Nestorio commune,ne dum vt illo deteriores simus.

Thesis VIII. Vvirtemberg.

Realem proprietatum communicationem cùm dicimus, non physicam intelligimus, qua natura vna in alteram transiret:sed vocabulum (Realis)*opponimus communicationi* Verbali, *quæ naturis tantum* Nomina *proprietatum facit communia.*

Thesis IX. Vvirtemberg.

Quæritur igitur: an inter diuinam & humanam naturam in Christo propter vnionem personalem, Realis, *hoc est,vera & reipsa existens in persona Christi,fiat quædam communicatio vt vna natura alteri proprietates suas communicet: & præterea quæritur, quousque illa realis communicatio extendatur?*

Antithesis VIII.& IX.Th.Bezæ.

1. Nulla hic æquiuocatio,sed natiua significatio vocis communicationis:quæ propter vnionem,& naturis & earum proprietatibus tribuitur.

2. Hæc hæresis est Samosateniana, vnionem naturarum sine communicatione asserere.

3. Blasphema hæc assertio: Humanitatem Christi, ne quidem verbaliter Omnipotẽtem, contra illud Christi:data est mihi omnis potestas,Matth.28.

4. Non sequitur: quia alio modo Deitas omnipotens dicitur, videlicet per se: & alio modo humanitas in Christo, videlicet participatione omnipotentiæ.

[1]Ὁμωνυμία vel æquiuocatio est in voce cõmunicationis, quæ modò pro vnione hypostatica,modò pro illius effectis accipitur. Itaque communicationem realem, id est, vnionem naturarum admittimus, in qua manent singulæ naturæ per se, etiam in vnione, suis proprietatibus distinctæ, [2]citra vllam aliam communicationem. Communicationem autem, cuius hîc fit mentio, qua dicitur Humanitas suo quodam modo vbique & omnipotens,[3] ne verbalem quidem esse dicimus: sed tam falsam esse existimamus, [4]quàm falsum est,vnione hypostatica humanitatem euasisse Deitatem.[5] Quamuis, vt suprà diximus, homini vnito cum λόγῳ, id est, toti personæ in concreto,ab altera natura,nempe humanitate denominatæ, siue Christo ὅλως, nõ κατὰ μέρος, siue in naturis distinctè consideratò, rectè & verè,quæcunque sunt Dei propria,attribuantur.

5. Præstigiæ verborum,quibus oculi imperitorum perstringuntur. Omnia enim verbalia sunt,non realia,& hoc est verba dare.

Ad

Ad refutationes marginales.

κοινωνίας vocem ad omne communicationis ac etiam ſocietatis genus accommodari, cuius plurimæ ſint diuerſiſſimæ ſpecies, negari niſi extrema impudentia nō poteſt, ac proinde variam & multiplicem incidere poſſe in hac voce ὁμωνυμίαν etiamſi ſemper natiua ſua ſignificatione *Communicare* accipiatur pro *Commune facere*. Non fuit igitur D. Andreę neganda æquiuocatio in hac voce, ſed potiùs oſtendendum quod ſit inter Vnitionem ipſam naturarum (quæ & ipſa eſt Communicationis, & quidem arctiſſimæ ſpecies) & iſtam κοινωνίαν proprietatū ab Eutychianis excogitatam, & ab Vbiquitariis interpolatam, diſcrimē, cui nullum adhuc nomen ſpeciale nanciſci potuerint. Cæterum quod in antitheſi noſtra diximus, iterum hîc repetimus: nempe κοινωνίας nomen quum hoc hypoſtaticæ vnitionis naturarum myſterium deſignat, nihil aliud quàm illam ipſam ἕνωσιν declarare: ſicut etiam Athanaſ. in epiſt. ad Epictet. κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν φύσεων eôdē prorſus ſignificatu, & Hilarius Communionem, & Auguſt. Societatem vſurpat. Neque hoc D. Andream inficiaturum arbitror. Ad ἰδιώματα verò quòd attinet, non paruum exiſtit inter illa diſcrimen. Nam quòd ad diuinitatem attinet, omnia ipſius ἰδιώματα, quæ vocamus, ſunt ipſamet eius eſſentia, ſiue abſolutè conſideretur, ſiue in perſona Filij, cuius proprium notificatiuum ἰδίωμα eſt Filiatio, In Humanitate verò ſunt aliæ quidem proprietates Eſſentiales, licet ipſius Eſſe & Eſſentia re differant, id eſt quibus Humana ipſa natura à cæteris vniuerſaliter diſcernitur, & quib⁹ ſublatis Humanitas eſſe deſineret: ſunt & quędā Accidentales, huic Humanitati propriæ, quibus à cæterorum hominum Humanitate diſcernitur, veluti quòd illius ſuppoſito datum ſit in Filij Dei perſona ſubſiſtere, è Spiritu Sancto concipi ſine peccato, & quicquid eſt eiuſmodi. Sed nulla iſtarum diſtinctionum habita ratione, dico omnium illorum ἰδιωμάτων nullam aliam eſſe poſſe κοινωνίαν, quàm eam ipſam vnitionem qua naturæ ipſæ vniuntur, quoniam ſeparari à ſuis naturis reipſa nunquam poſſunt, vtpote quas ſi ab ipſis naturis auferas, tolli ipſas quoque neceſſe ſit (quod in Diuinitate in primis locum habet, in qua Eſse ab Eſſentia nihil differt) imò etiam & illa quæ illi Humanitati per Accidēs fuiſse data diximus ſi tollas, illa Humanitas eſse deſinet. Quînam igitur Vniri dixerimus naturas ipſas, quin ipſa quoque illarum ἰδιώματα ſimul & eódem momento & vna ac eâdem prorſus vnitione copulentur. Vaniſſimum eſt igitur aliam etiam numero vnitionem in naturarum proprietatibus, quàm in ipſis

1.

naturis imaginari, Quod si hypostatica est, vti certè est, ista tũ naturarũ tum proprietatũ κοινωνία siue ἕνωσις: certè sicut hęc hypostatica vnio duarũ naturarũ non efficit vt vna sit altera: ne hoc quidé viciſſim efficit, vt Eſſentiales vnius naturæ proprietates fiant alterius, nec vt quę vnius ſunt naturæ, verè poſſint de altera prædicari. Sic enim proprium deſineret eſse propriũ, ſi fieret cũ altera natura commune, & tolleretur hypoſtaticæ vnitionis definitio, in qua ſic dicuntur aduerſus Neſtorium duæ naturæ vnicum ὑφίστασθαι conſtituere, (Humana videlicet natura à Perſona τοῦ λόγου καθ' ὑπόστασιν aſsumpta): vt tamen aduerſus Eutychetem, licet Perſonaliter vnitæ & inſeparabiles, ſuis proprietatibus diſtinctæ ipſæ naturæ permaneant. Itaque vel iſta omnis κοινωνία proprietatum, quam Doctor Andreas ab vnitione ipſarum naturarum diuerſam facit, & qua vult Deitatis Omnipræſentiam, Omnipotentiam, cæteráque omnia ipſi Humanitati Chriſti attribui, ruat oportet, vel (quod abſit) hypoſtaticæ vnitionis definitio tollatur neceſſe eſt: Figmentum autem illud præcipuè & irrefragabiliter in proprietatum Diuinitatis communicatione patefit, quas illi ſolas nunc vrgere conſueuerunt. Quid amplius? quum iſtam communicationem proprietatum qua Vnitionem hypoſtaticam à poſteriore definiunt, eandem eſse diſertis verbis ſcribant D. Brentius & D. Andreas, atque inhabitationẽ Dei in ſanctis omnibus: & hanc inhabitationem Dei in ſanctis cõſtet, totam eſse ἐνεργητικὴν, & qualitatum in Sanctis creatarũ ſubiectiuè ipſis inexiſtentium effectricẽ, annõ hac ratione tollitur ipſarum naturarum Eſſentialis ἕνωσις, ac proinde omnis iſtius imaginariæ diuinitatis proprietatũ commutationis fundamentum ab ipſiſmet euertitur? Annon ſic Kemnitianum quoque iſtud perfugium euaneſcit, quo proprietates Diuinitatis reipſa, nec tamen ſubiectiuè Humanitati illi attribuũtur? Denique, quum euicerimus vnicam & eandem eſse naturarum & proprietatum vnitionem, nec aliter (quamuis effectu diuerſo) aſſumens perſona cũ aſsumpta natura, quàm aſsumpta natura cum aſsumente perſona vniatur: annon neceſsariò, niſi quis ſola pertinacia velit veritati reluctari, conſequitur, ſi verè tribuuntur Humanitati proprietates Diuinitatis, verè quoque Humanitatis proprietates Diuinitati accommodandas: &, ſi blaſphemũ vnum eſt, blaſphemum etiam eſse alterum, vti certè eſt vtrumque? Quamobrem etiam rectè animaduertit Neſtorius ſtare blaſphemiam ſuã, niſi ſublata hypoſtatica vnione, non poſse: & Eutyches contra admitti impietatem ſuam, niſi abſorpta humana natura, vel conflatis

tis & confusis in vnam naturis nequire. Quid igitur? nempe ex vna & eâdem vnitione nascitur, non naturarum, sed personę vnitas: & idcirco, quum abstractæ voces, solas naturas quales sunt in sese, & permanent etiam vnitæ, declarent, nullus hic est abstractis vocibus locus. Persona verò cõcretis semper vocibus significatur, quarum aliquæ huic personæ secundum vtramque naturam conueniunt, (vt quum Filius Dei dicitur, nempe & quia secũdum Deitatẽ talis est, & quia etiã hic Homo in persona Filij subsistit, & cùm Christus quoniam hoc nomine & vngens Diuinitas & vncta Humanitas intelligitur): aliæ verò quamuis maximè propria sua significatione, ab abstracta duntaxat altera natura denominentur, tamen propter vnitatem personæ, totam personam interdum declarãt, vt quum Christus, Dominus gloriæ, Filius Hominis, & Homo vocatur. Nam Carnis appellatio interdum pro Humanitate in abstracto accipitur, vt quum dicitur Christus passus in carne: interdum concretè, vt quum dicitur ὁ λόγος factus caro, id est factus homo. Sed in summa, propter eandem illam vnitionem & personę vnitatem, pariter eadémque ratione, quæcunque Verbo attribuuntur, Homini quoque attribuuntur, & contrà: sine illa prorsus exceptione. Itaque tam vera est hæc enuntiatio, ὁ λόγος est Homo, Mariæ Virginis Filius, creatus, finitus, visibilis, quicquid denique Homo est, excepto peccato, (qua in re posita est illa Filij Dei exinanitio) quàm ista, Homo ille est Filius Dei, Deus Patri ὁμοούσιος, æternus, increatus, infinitus, Omnipotens, Omnipræsens, quicquid denique est Filij Dei persona, vnde illa summa hominis exaltatio. Et qui hoc vtrunque non agnoscit, personam dissoluit. Sic enim neque confunduntur naturæ, quum illa quidem de Filij Dei persona non dicantur secundum Deitatem: sed quia cum illo Homine, qui in ipso non in sese subsistit, vnicum est ὑφισάμενον: Hæc verò rursus de Homine illo non prædicantur secũdum Humanitatem, sed quatenus Homo est in vnitatem personę à Filio assumptus. Eadem autem ratio est earum etiam enuntiationum, in quibus non ipsæ quidem proprietates Essentiales, sed quædam cum illis cohærentia, & naturarum singularum propria, prædicantur, vt si dicamus Hominem illum loquentem in terris cum Nicodemo, fuisse tum quoque in cœlis: & nobis nunc quoque adesse & adfuturum vsque ad consummationem seculi, nempe non secundum Humanitatem, (ne confundãtur naturæ,) quæ certè nõ est Deitas, sed qua ratione vnicum est cum illo Filio Dei ὑφισάμενον, ne persona dissoluatur. Et sic vicissim, Dominus gloriæ dicitur verè & orthodo-

xè, conceptus ex Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, esuriuisse, sitiuisse, dormiuisse, passus, mortuus, sepultus, resurrexisse, &c. non item secundum Deitatem confusis naturis, sed quia sicut propria ipsius est hæc caro in ipso subsistens, sic omnia carnis σώματα sua esse ducit. Et hæc est vera illa ἰδιωμάτων, essentialium, & eorum quæ ἰδιώματα consequuntur communicatio, non in naturis ipsis sed in persona, vtpote ex hypostatica vnitione & personæ vnitate nascens, & neque naturas aut earum proprietates confundens, neque personam dissoluens: quod etiam in operationibus locum habet, quæ sic tribuuntur supposito, vt absque separatione distinguantur, & diuinæ quidem Deitati, humanæ verò illi humanitati tribuantur.

2. Negauit Samosatenus subsistentiam æterni Filij Dei: quam blasphemiam renouauit nostra memoria impurus ille canis Seruetus, Geneuæ non simpliciter vt hæreticus, sed propter horrendas in Filium Dei & totam sacram Triadem blasphemias, à quibus nullo modo abduci potuit, meritò crematus: & nos, Geneuenses in hanc hæresin scilicet, postea inciderimus? Altera Samosateni hæresis fuit, in Christo nihil præter meram Humanitatem ponere: an nos verò huius sceleris rei dici possumus, qui aduersus Arrianos, & aduersus Tritheitas coæternam & coëssentialem Filij Dei ὑπόστασιν totis lacertis (Deo sit laus & gloria) sumus tutati? Qui etiam aduersum renatos Nestorium & Eutychen veram hypostaticam vnionem, & veram ἰδιωμάτων communicationem defendimus? An non verò potiùs habẽdi sunt huius impietatis rei, qui *hypostaticam vnionem in effusionem donorum, Christo cum Petro & Sanctis omnibus*, excepta illorũ mensura, *communẽ transformant?* Qui *Christum Deum non esse dicunt, quia Deus sit in ipso, sed propter omnia dona ipsi communicata?* (& hoc est quod Paulus σωματικῶς καθικεῖν appellat) qui *Deum docent in omnibus creaturis esse, non modò natura, sed etiã secundum Subsistentias*, id est ἐνοῴκησις, (quo nihil absurdius dixerunt Manichæi) Qui denique *Christũ Hominem* scribunt, *hoc habere commune cum omnibus Sanctis, quòd cum eo Deus personaliter fuit* (at cur nõ potiùs, *sit? Junitus.* Sed D. Andreæ videretur Christus verbo tenus esse Deus, nisi præterquàm quòd subsistentiam habet in Filio Dei, & inenarrabilibus hyperphysicis qualitatibus supra ipsos etiam Angelos est in æternum ornatus, spoliis etiam Deitatis induatur.

3. Videant potiùs D. Brentius & D. Andreas ne sint ipsi inexcusabilis blasphemiæ rei, quum (vt ex superiore refutatione liquet) po-

testatem

teſtatem Homini Chriſto datam, & eam quę Petro & ſanctis conceſſa eſt, non toto genere, ſed tantùm diuerſas menſurâ conſtituant: niſi fortè virtutē vel poteſtatē non numerāt inter dona aliquatenus ſanctis conceſſa. Sed & præterea magna hic inſcitia deprehenditur. Nam & δύναμις aliud eſt quàm ἐξουσία, & omnis poteſtas in cœlo & in terra, id eſt ius & imperium adminiſtrandi res omnes creatas ſuperas & inferas (ſic enim illum Matth. locum explicat Petr. Act. 2. 36.) non eſt illa eſſentialis & infinita Omnipotētia Deitati propria. Præterea falsò iſtud donum ab hypoſtatica vnione inchoatur. vtpote quod cū infirmitate carnis, (quam Chriſtus verè noſtri cauſa factus omnium hominum, abſque peccato tamen, miſerrimus, nonniſi expleto miniſterio depoſuit) ſtare nullo modo poſſit. Denique quum D. Andreas hac Omnipoteſtate potiſſimùm ad ſtabiliendam illam ſuam Omnipræſentiam abutatur, (quâ tamen poſita, veritatem carnis Chriſti aboleri neceſſe eſt, quum corpus, ac proinde Quantum & in loco eſſe, & vbique ſimul, id eſt Non quantum eſſe, contradictoria ſint, nec ſimul vera eſſe poſſint) perinde facit, ac ſi Chriſto diceret poteſtatem quoque eſſe conceſſam contradictoria volendi, id eſt in alterutram partem, abſit verbo blaſphemia, mentiendi. Poſtremò, oblitúſne eſt D. Andreas à POSSE ad ESSE non valere argumentum? Interim verô hunc hominem Omnipotentem eſſe minimè negamus: quia Perſonam diuideremus: quamuis Humanitatem eſſe Omnipotentem Eutychianis minimè concedamus.

Si Omnipotentia Dei infinita eſt, (vti certè eſt neceſſariò) tam impium eſt Omnipotentias plures conſtituere, quàm plures infinitates & Deitates facere: quod etiam per ſe eſt ἀνύπαρκτον. Quamobrem in Athanaſiano ſymbolo, tres quidem perſonas, Vnum autem Omnipotentem, nec perſonis aggregatum, nec in perſonas diuiſum profitemur. Vnica ergo eſt Omnipotentia cáque Eſſentialis: nec aliunde, ſed ex ſeſe: nulla igitur participata, id eſt (vt hîc neceſſariò hanc vocem intelligit D. Andreas) reipſa alteri naturæ, puta aſsumptæ Humanitati, communicata. Quod ſi etiam participatio pro vnione hypoſtatica accipiatur, ne hoc quidem D. Andream iuuerit, quoniam in ea manſit naturarum diſtinctio, vtraque natura, id quod ſibi proprium eſt, retinente: vnde rectè concludunt Scholaſtici, fieri non poſſe, vt vlli creaturæ communicetur: adeò quidem, vt Chriſtus, neque corpore, neq; anima potuerit, aut poſſit conſuetum naturæ ordinem immutare, niſi prout fuit Verbi Dei ſibi perſonaliter vniti inſtrumentum. Hoc ſi vel 4.

ignorat vel non agnoscit D. Andreas, an propterea fuerimus hæretici?

5. Ad hanc calumniam plenissimè respondimus ad primam refutationem Antitheſ. 3. Libenter autem ex D. Andrea quæsierim, an verba det & præstigiis vtatur, qui corpus intelligere & ratiocinari, etiam corpori suo vnitum, negat, quamuis personaliter ei sit vnita anima intelligens & ratiocinans?

Thesis X. Vvirtemberg.

Nos credimus, quòd ex vnione personali sequatur talis proprietatum realis communicatio, qua Filius Dei communicet assumptæ humanæ naturæ suam omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiam & vim seu virtutem viuificandi, &c. per quam communicationem, diuina natura in Christo non fit infirmior, humana autem natura exaltatur, non aboletur. Erudita antiquitas vsa est in hoc mysterio explicando similitudine animæ & corporis: Item ferri candentis. Corpus enim re vera viuit, sed virtute animæ viuit. Et ferrum candens re vera, vrit, sed virtute ignis vrit. Neque tamen corpus in animam mutatur, neque propter illam communicationem aboletur: neque ferrum in ignem conuertitur, neque ferrum esse desinit.

Antitheſis X. Th. Bezæ.

1. Ludus verborum est, & depravatio particulæ distinctiuæ, quæ non tantùm ostendit, cuius naturę proprium sit, sed causam indicat quoque, cur quod vnius naturæ proprium est, alteri tribuatur, videlicet propter vnionem cum altera natura, qua ei personaliter, id est, verè & realiter communicatur.

2. Per has similitudines patres mysterium vnionis & realem communicationē propriorum, quòd sine confusione naturarum fieri possit, declararunt.

De humanitatis Omnipotētia, Omnipræsentia, Omniscientia, aliquoties respōdimus, illa, non humanitati, etiam vnitæ, sed homini illi [1] κατ' ἄλλο attribui: & rursus id infrà sigillatim dicemus. Et quod attinet ad illas similitudines [2] ferri igniti, & corporis cum anima coniuncti: ex illis definiri nequit hypostatica vnio, sed tantùm delineari, ne dum vt inde possit communicatio, quam statuitis, exoriri. Nam plurima sunt in his dissimilia, ac proinde non aliò trahenda, quàm quo sensu, à patribus Orthodoxis, hæ similitudines sunt accommodatæ: nempe, quòd ad similitudinem ferri igniti attinet, vt docerent contra Eutychianos & Monothelitas, proprietates & operationes naturarum, quamuis vnitarū inter

ter [3]se non communicari, nec subiecta sua egredi, tantùm abest, vt vestræ sententiæ faueat. Similitudo autē vnionis animæ & corporis ad constituendum hominem, notum est, [4]quàm multipliciter ab vnione duarū in Christo naturarum, differat: nec aliò ab Orthodoxis patribus est accōmodata, quàm ad vnitatem personæ, in duabus perfectis naturis, ostendendam: nec longiùs est trahenda. Stat denique hæc regula, In hac hypostatica vnione, tum distinctas manere ipsas naturas,[5] tum agere vtramque distinctè, quod sibi proprium est: ac proinde τὸν λόγον esse distinctè id, quod est λόγος, & [6]agere distinctè id, quod est τῦ λόγου. Sicut manet etiam caro distinctè id, quod est caro, & exequitur distinctè id, quod est carnis. Ac proinde, vt paucis omnia: sicut, licet non separatæ, duæ tamen sunt numero distinctæ οὐσίαι: ita d æ quoque sunt voluntates & ἐνέργειαι, & [7]duo ἐνεργήματα, vnicum autem ἀποτέλεσμα, sicuti vnica est persona. Nec aliter intelligendum est [8]illud Athanasij: placuisse τῷ λόγῳ potentiam suam diuinam per illam carnem, in ipsa, & cum ipsa, exerere.

3. Imò contrariū verum est: nam communicationem realem inde demonstrarunt. Contra Eutychianos ita quidem, quòd inde nulla confusio naturarum, vel abolitio alterius sequatur.

4. Nulla similitudo quatuor pedibus currit: sed in eo quadrat, ad quod à patribus accommodata fuit.

5. Falsa est hæc regula. Nam actiones in persona Christi, nequaquā distinctè, hoc est, seorsim aut diuisis naturis, sed toti personæ tribuuntur.

6. λόγος nihil sine carne agit, sicut anima distinctè nihil sine carne, neque caro sine anima: quamuis naturæ sint & maneant distinctæ, sed tota persona Christus agit.

7. Nestorianismus crassissimus. Sunt duæ voluntates distinctæ in Christo, & duæ distinctę οὐσίαι & ἐνέργειαι: actiones autem sunt communes ad vnum finem directæ. 8. Athanasij sententia hæc non patrocinatur errori de distinctis naturarum actionibus, sed eam refutat & euertit.

Responsio ad marginales refutationes.

Ego verò istis D. Andreæ conuitiis, ad ipsius Dei tribunal, qui tum illius, tum meam conscientiā nouit: immò ad hanc ipsius obseruationem prouoco. Quod enim ait, *distinctiuas particulas ostendere, cuius naturæ proprium sit quod alteri naturæ, verè & reipsa, communicetur*, quis D. Andream aliter quàm per ludum scripsisse putet? Nam certè, duabus positis diuersis naturis, quales sunt Deitas & Humanitas, proprium esse desinat necesse est, quod reipsa commune fiat cum altera. Idem autem esse dicere Proprium & Commune, quid aliud est, quàm homines ludificari? Deinde, ridiculum est quod addit: *distinctionis formulis*, cuiusmodi est ista κατ' ἄλλο 1.

oſtendi, quare, quod vnius naturæ proprium eſt, alteri tribuatur. Nec enim quare id fieret, ſi fieret, ſed quo ſenſu id eſſet intelligendum, ſic oſtenderetur: ita videlicet, vt quod alteri tribueretur non ex ſeſe ſed aliunde id habere ſignificaretur: Sic exempli gratia, quum non in naturis, vt vult D. Andreas, ſed in perſona dicitur Deus ὁ λόγος eſſe Homo, & paſſus: & viciſſim Homo ille eſſe Deus, & æternus, adicitur vtrobique κατ' ἄλλο, vt illud quidem de Deo non tamen vt Deus eſt, iſtud verò de Homine, non tamen quatenus eſt Homo intelligatur. Cur autem iſtæ enuntiationes ſint veræ, non ex hac formula κατ' ἄλλο vel κατὰ σάρκα, vel κατὰ τὸ πνεῦμα, vel καθ' ὁ θεός, vel καθ' ὁ ἄνθρωπος, vt loquitur & rectè explicat Damaſcenus lib. 3. cap. 4. ſed partim ex vnitione naturarum hypoſtatica, partim ex proprietatum ἀντιδόσει petendum eſt, quarum certè neutra per formulas illas diſtinctiuas indicatur. Quibus è contrario naturarũ diſtinctio declaratur. Denique quid eſt hominibus illudere, ſi hoc non eſt, nempe Aduerbium, *Perſonaliter*, explicare, *verè & Realiter*? Nam ſi vera hæc eſt & propria illius aduerbij declaratio. Quid fiet iis quæ de ſingulis naturis, naturaliter & καθ' αὑτὰ, maximè quoq; realiter & verè, nec tamẽ perſonaliter, id eſt reſpectu perſonæ dicuntur? niſi forte fateri velit D. Andreas Naturas & Perſonã à ſe ex Eutychetis dogmate confundi? Sin minùs, quũ multò latius pateat quicquid de Chriſto verè & realiter, quàm quod Perſonaliter dicitur, quis non videt D. Andreã qui nos vt ludiones accuſat, potius luſiſſe, quum hæc ſcriberet, videri poſſe, haud ſecus quàm Sophiſtã aliquem in ſchola, qui rectè à ſe definitum Hominẽ expreſſo Animalis, id eſt generis nomine, & præterita Rationalis differentia diceret? Neque verò minuta iſta perſequerer, niſi rectè intellecta maximi ad hanc componendam controuerſiam eſſent momenti, quæ ſic expono Damaſceni verbis lib. 3 Orthod. fidei, cap. 7. *TOTVM naturam repreſentat, TOTVS autem ὑπόστασιν ſiue Perſonam: quemadmodum ALIVD naturarũ eſt, ALIVS verò ὑποστάσεως.* Quod probat hoc exemplo: *Chriſtus Totus, eſt Deus perfectus, ſed non Totum Chriſti. Deus: & Chriſtus Totus, eſt Homo perfectus, at non Totum Chriſti, eſt Homo. Non ſolùm enim Deus, ſed & Homo, non ſolùm Homo, ſed & Deus.* Totum igitur Chriſtum ſciamus, idem declarare atque Chriſtum σωλῶς, id eſt coniunctim vnum, ſiue ſecundum ὑπόστασιν, non quidem ſublata, ſed tamen non habita diſtinctionis naturarum ratione, conſideratũ, de Chriſto dicuntur, & quidem veriſſimè, nec vno modo, ſicut ex Damaſceno explicabimus. Et hęc quidem ſi refutare ſtuduerit D. Andreas, minimè vereor, ne, tum ex

Dei

Dei verbo, tum ex perpetuo Eccleſiæ Orthodoxæ conſenſu illud probare non poſſim: quę ſi D. Andreas cum ſcriptis ſuis comparet, viderit ipſe quinam hos plurimos & maximos errores ſit à ſe amoturus: vtinam potiùs emendaturus: quorum primus hic eſt. Quòd Neſtorium in prioribus illis ſuis ſcriptis ſecutus ſcripſerit (vt illi ſæpe iam oſtendi.) *Chriſtum hominem hoc habere cum Sanctis omnibus commune, quòd cum eo Deus Perſonaliter fuerit vnitus.* Alter, quòd ſeipſum hic oppugnans ſcribat, pag. 233. *Neſtorium, vnitatem perſonæ nunquam negaſſe* : quod tamen ex errore ſuperiore liquet. Tertius quòd antea D. Brentiũ magiſtrũ ſuum ſecutus, *vnicum hoc diſcrimẽ inter inhabitationem Dei,* (quę certè eſt vnio perſonalis, niſi fortè à Paulo velit diſſentire) *in Chriſto & in Petro ſtatuerit, quòd Sanctis diſtribuat ſua dona dimenſa, Chriſto verò immenſa.* ſiue (quæ ſunt Brentij verba) *quòd etſi ſua eſſentia impleat Petrum ſicut & hominem Chriſtũ, non tamẽ communicet Petro omnes ſuas proprietates, ſed tantùm nonnullas.* Quartus, quòd ſibi ipſi nunc repugnans pag. huius libri 310. *ſe nunquam conceſſurum dicat, dona Chriſti & ſanctorum hominum, tantùm differre ſecundum plùs & minùs.* Tam verè iſtud quidem ſi de vnionis dono intelligatur, quàm falſò illud antea ſcripſerat. Quis autem ſatis ſanæ mentis, vel ludibrio non habens auditorem, neget & dimẽſa dona, ſiue, (vt magis perſpicuè loquitur D. Brentius) proprietates Omnes & Nonnullas, ad idem genus referri? Et certè hunc errorem agnouiſſe quidem, ſed diſſimulanter emendare voluiſſe videtur D. Andreas pag. 312. qum addit ſpecificam differentiam, nempe *Increata* & *Creata*, quod Theſi 4. pleniùs explicat. Deleat igitur & ſemel expungat illam ſuam blaſphemiam, Diuinitatem Hominis Chriſti non eſſe illam ἀσιώδη: & illud *Vnum*, vnum inquam, inter Petrum & Chriſtum diſcrimen, toties in illis ἐριδος μήλους inſcriptum. Quintus error minùs etiam excuſari in D. Andrea poteſt, vt qui volẽs illud, de quo diximus corrigere, quo Chriſtum nobis pro Deo, diuiniſſimũ proponebat: eòuſque in Contrariam partem aberrat, & à Theſi ſua quarta diſſentit, vt ſcribat *in homine Chriſto* (quæ ipſius verba ſunt pag. 112.) *omnia communicata dona eſſe increata, immẽſa, infinita: & Scientiam hominis Chriſti negat creatum eſſe donum.* Nam ſi verum iſtud eſt, certè vel Tota humana natura non fuit aſſumpta, (qui fuit Apollinaris error) aut, ſi mentẽ quoque ὁ λόγος aſſumpſit, ratione tamẽ & ſcientiæ naturalis qualitate carentem, aſſumſerit Mentem, non mentem. Sextus error ſuperiores partim arguit, partim etiam auget. Quum enim reuocare non poſſet D. Andreas vniuerſalia iſta *Omnes proprietates*

& *omnia dona, quorum nullum tamen sit creatum*, & ex eo quæreretur, num etiam æternitatem & infinitatem, incorporeum & immateriatum esse & similia, censeret in naturam illam assumptam effusa, fol. 271. ad distinctionē attributorum diuinæ essentiæ refugit. *cuius actus quidam* (inquit) *substantiales sunt energitici, vt Sapientia, Potentia, Iustitia, Misericordia &c. Alij verò circa Deitatis essentiam versentur, nec sint energetica: qualia sunt esse ab æterno, & per Essentiā infinitum, incorporeum, immateriatum, & similia, quæ Humanitati communicata dicuntur, quia ipsa Deitas communicata est, à qua separari non possunt, ab his autem humanitas non denominatur, quoniam non sunt actus perficientes naturam humanam, sicut in primo ordine cōmemorata eam perficiunt, & ab iis denominatur. Quamobrem etsi humana natura, habet communicatam æternam & infinitam essentiam, sicut omnipotentiā non tamē infinita & æterna dicitur, sicut Omnipotens verè dicitur.* Hæc ille: in quibus quid primum, quid vltimū reprehendam? Primum enim, quod ad istam attributorum Dei distinctionem attinet, quantò planiùs dixisset, ex iis per quæ sese nobis Deus qualis sit declarauit, & quæ attributa vocantur, quoniam ea Deus sibi nostra causa attribuit, quædam ita esse Dei propria ad vt nullum res creatas habere respectum possint, quoniā his maximè distinguitur Deus à rebus creatis omnibus: cuiusmodi est, vera simplicitas æternitas, immensitas & alia id genus. Quædam verò aliquem habere ad nos respectum, qualis est misericordia, Omnipotentia, relationem habens ad res factas & quæ fieri possunt, vt Amor, Odium Ira & eiusmodi cætera. Iam verò, quum illa vtraque vult D. Andreas communicari, *quoniam* inquit, *& ipsa Deitas humanæ illi naturæ communicatur*: si de vnitione ipsarum naturarum intelligit, bene loquitur de priore attributorum specie, & suam illam proprietatum Communicationem destruit, quam ab ipsarum naturarum vnitione diuersam facit. In altera verò attributorum specie, si Communicationem rursum pro illorum quoque essentialium attributorum vnitione accipit, præterit quod maximè expressum esse oportuit, nempe sic illa quoque dici hypostaticè vnita, vt præterea, humanitas Christi illa quoque in se receperit non qualia sunt & quo sensu Deitati essentialiter attribuuntur (quatenus videlicet sunt ipsa Deitas & vnum sine multiplicatione) sed quatenus qualitates quædā, ab illis Deitatis attributis effectæ, & in illā Humanitatem accedentes, Humanitati reipsa effusæ, ex cuius postea plenitudine in omnes credentes per regenerationis beneficium defluant, quo etiam fertur nostra illa Spiritualis cum Christo coadunatio, cuius est tessera & pignus sacra Domini cœna. Sed,

quæſo, quid iſtud rei eſt, *Humanitati illi communicari quoque Æternitatem & Infinitatem vt potentiam: nec tamẽ Humanitatẽ infinitam & æternam dici: ſicuti dicitur Omnipotens, quoniam* (inquit) *humanam naturam perficerent?* Nam cur non potius, *quoniam naturam humanam abolerent?* Quod quum ita ſit, quorſum, & in quem vſum, illas quoque proprietates dixerimus illi fuiſſe communicatas, quum potiùs dicendæ fuerint communicandæ non fuiſſe, ne illã abolerent? Sed & illud rogo, cur in illorum attributorũ recenſione Omnipræſentiam præterierit: &, in vtra ſpecie attributorum illam collocandam cenſeat? Si in priore, quaſi ſit Omnipotentiæ nomine ab ipſo comprehenſa, quæro cur ſibi contradicẽs, & hoc ipſum committens quod alibi falsò nobis obiiciebat, huic Omnipotentiæ certos fines præſcribat? Nam alioqui ſi eſt reipſa Omnipræſens, quia reipſa Omnipotens, cur non etiam hanc Omnipotentiam eò vſque extendit, vt Infinitas quoque illi Humanitati tribuatur? Sin verò in poſteriore ſpecie Omnipræſentiam recenſeat, ipſum D. Andream habemus ore ſuo confitentem, quòd hæc Humanitas non poſſit veriùs dici Omnipræſens, quàm æterna vel infinita. Et certè ita ſe res habet. Etſi enim Omnipræſentia reſpectum habet ad res omnes conditas, tamen ita eſt Dei naturæ propria, nempe cum infinitate quæ nullo modo multiplicari poteſt, penitus & neceſſariò cohærens, vt ne Angelicæ quidem naturæ tribui poſſit, vt pluribus ſimul locis definitiuè eſſe poſſint. Denique ſi non debet denominari Humana natura ab iis Dei attributis quæ ipſam non perficerent, ſed deſtruerent, doceat nos D. Andreas iſta carnis Chriſti Omnipræſentiali Maieſtate, quam ſomniat, non aboleri corporis verè organici circunſcripti, palpabilis viſibilis, ac proinde finiti naturam: nedum vt eam perficiat. Itẽ, *ſi attributa illa quæ in Deo verſantur, neque ſunt ἐνεργητικὰ, vt Æternitas, Infinitas, & alia eiuſmodi, communicantur quidem Humanitati, ſed de Humanitate non dicuntur, quoniam humanam naturam non perficerent*: quid de ipſa Deitate dicemus? Nihil enim cogitare de Deo poſſumus, quod in ipſo magis verſetur, quàm ipſamet Deitas. Et certè, ita eſſe fatendum eſt. Quis enim dixerit Humanitatem eſſe Deum? At enim, ſi tam verum eſt quod ſcribit D. Andreas, nempe quoniam Humanitati nõ attribuitur Æternitas & Infinitas, idcircò Hominem illum dici non poſſe æternum & infinitum, efficietur & illud, ex D. Andreæ ſententia, hunc Hominem non poſſe dici Deum, quum de Humanitate minimè dici poſſit Deitas. Neque his obſtat quod ille fortaſſis obiecerit, Deitatem videlicet non eſſe at-

tributum, sed ita ipsammet Dei essentiam siue Entitatem significari. Nullus enim hic locus est huic distinctioni, quum hîc agatur de Vnitione qua ipse Deus, nempe ὁ λόγος, & seipsum, & quęcũque ipsis attribuuntur, Humanitati assumptæ verè vniuit, ita vt propterea necesse sit de illo Homine dici quicquid Deus est, vt qui sese, & quicquid ipse est, hac vnitione vniuerit: etiamsi ex D. Andreæ sententia communicationem aliquam proprietatum ab ipsa naturarum vnitione, vt effectum à causa distingueremus. Neget igitur D. Andreas, hũc Hominem rectè dici Deum, aut seipsum retexens, fateatur, malè à se Nestorium sequuto abstracta cum concretis, id est Deitatem cum Deo, & Humanitatem cum Homine confundi. Rursum, vt eum suis ipsius vinculis arctiùs etiam constringamus, si quemadmodum ipse scribit, *quidam Actus substantiales in Deo, quia sunt* ἐνεργητικοὶ, *& Humanam naturam assumptam possunt perficere, sic illi Humanitati communicantur vt inde denominetur Omnipotens & Omnipræsens*, quinam ista omnis talium Actuum cõmunicatio, non fuerit merè ἐνεργητικὴ, non autem ὑσιωδὴς, vt olim etiam expressis verbis scripsit D. Andreas? Et certè nisi ita esset, & nisi Actus illi subiectiuè aliquid creatum in illa Humanitate efficerent, quinam illam perficerent? Positis igitur ipsiusmet D. Andreæ principiis, nisi malit duplices constituere Omnipotentias, & Omnipræsentias, & Omnimaiestates, vnam videlicet in Deo substantialem & ἐνεργητικὴν: alteram in ipsa Humanitate assumpta creatam, & ab illa substantiali energia diuina effectam, ruet omnis illa omnium Dei proprietatum substãtialium, in assumptam Humanitatem realis communicatio: concidet illud *Personaliter*, pro *verè & realiter*: abolebitur tota illa carnis & sanguinis Christi In, Sub, vel Cum pane, nó certè ὑπερφυσικῶς sed ἀντιφυσικῶς considerata realis & essentialis præsentia in terris: oralis denique manducatio illa prorsus destruetur. Quid amplius? si, quemadmodum idem D. Andreas loco antea citato scribit, *proprietates illæ Diuinitatis à quibus Humanitas non denominatur, vt Æternitas & Infinitas, dicuntur tamen illi Humanitati communicatæ, quoniam à Deitate separari non possunt*, dicat, obsecro, nobis D. Andreas, an magis possint à Deitate separari alteræ illæ proprietates ἐνεργητικαὶ sic Humanitati communicatæ, vt ab illis etiam denominetur? Certè nihilo magis, vt ipse nunc agnoscit Andreas à D. Kemnitio admonitus, & propterea ab *Effusionis* nomine nunc abstinens. At ὁ λόγος, qua communionis specie factus est caro, id est Homo? Certè non falsa illa Nestoriana προσωπικῇ coniunctione κατ' παράστασιν, vel σχέσιν, vel ἀξίαν, vel ταυτοβουλίαν, vel ὁμοτιμίαν,

τιμίαν, (quam D.Brentius & D.Andreas exæquationem vocant) vel ὠδοκίαν, quemadmodum Deo exosus Nestorius, teste Damasc.lib. Orthod.fidei 3.cap.3.docebat: sed καθ' ὑπόστασιν: per quam videlicet ὁ λόγος tum naturis, tum ipsarum proprietatibus, tum actionibus, citra separationē personæ, & citra vllam confusionem, distinctis permanentibus, subsistentiam præbens, ei quam assumebat carni, sic euasit θεάνθρωπος, & πρόσωπον, siue ὑπερέμβυον συνθετὸν, non vt propriè ex partibus componentibus: sed vt ex duabus naturis in ipsam præexistentem & æternam illam Filij Dei ὑπόστασιν coëuntibus. Hoc autem posito, & hoc præterea certissimo principio, quod etiam rectè & expressè D.Kemnitius asseruit, nempe, abstractis nominibus Humanitatis & Deitatis, in ipsa quoque vnitione, significari naturas quales sunt & in æternùm permanent in sese & καθ' αὑτὰς, suis proprietatibus præditæ: hinc septimus ille D.Andreæ perpetuus & intolerabilis error apparet, nempe quòd, abstractis illis Diuinitatis & Humanitatis, aliud quàm quod in sese habent, id est Humanitati quidem diuinas proprietates realiter, quamuis non subiectiuè, Diuinitati verò per redundantiam quandam & modum quem, explicare nullo modo potest, humanas attribuat. Nam hoc profectò nūquam fieri Orthodoxè, ne adiecta quidem distinctiua particula κατ' ἄλλο, contra hypostaticę vnionis definitionem, & ipsam abstractarū vocum, quam diximus, naturam, potest, nisi quum ἀκύρως, sicuti à patribus interdum factum est, præsertim ante Nestorij & Eutychetis certamina, abstracta pro concretis posita vsurpata sunt, candidè excusanda & interpretanda. Et hæc etiam est ratio cur è contrario, concretis quidem appellationibus, quibus persona ipsa Christi, non secundum naturas ex quibus καθ' ὑπόστασιν componitur, sed σωλῶς, siue quatenus vnum quiddam est, considerata exprimitur, (est enim ὁλότης, id est vt ita loquar, *Totitas*, vt rectè scribit Philosophus Metaphys.4. quædam ἑνότης id est vnitatis species) vtriusque naturæ propria καθ' αὑτὸ tribuantur, vt quum dicitur Christus, Deus & Homo, infinitus & finitus, passibilis & impassibilis: rectè verò nunquam dixerimus, Christus est Diuinitas τοῦ λόγου & Humanitas assumpta, finita & infinita, vel impassibilis & passibilis natura: quia videlicet Christus non est naturæ, sed ὑποστάσεως nomen, abstractis autem vocibus significentur Naturæ non ipsa ὑπόστασις. Immò etiam quia propter illam personæ ὁλότητα & ἑνότητα & ἓν σύνολον, persona συνεκδοχικῶς interdum à concreto vnius naturæ nomine tota denominatur, puta Verbi aut Hominis, idcirco verè quoque Verbo quidem Huma-

na, Homini verò Diuina attribuuntur, non tamen καθ' αὑτὸ, vt volebat Eutyches, vt personam, sic naturam, vnam constituens, nec etiam κατ' ἄλλον καὶ ἄλλον, id est secundum Alium & Alium, vt volebat Nestorius, naturas sola παραταξάσει siue σχέσει coniungens, non autem in vnum ὑποστάμενον vniens: sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, secundùm Aliud & Aliud, id est, interprete Apostolo ad Rom. 1. Verbo quidem Humana κατὰ σαρκὰ: Homini verò Diuina, κατὰ πνεῦμα attribuens, per ἀντίδοσιν videlicet siue μετάδοσιν, siue κοινωνίαν ἰδιωμάτων, non illam commētitiam quam vrgent aduersarij, sed ex verbo Dei petitam & à patribus summo consensu non aliter explicatam. Itaque quum sicut communicātur id est vniuntur naturæ, καθ' ὑπόστασιν, sic etiam & proprietates & energiæ ab ipsis naturis inseparabiles vniantur: idcirco similiter prorsus concretis ὑποστάσεως vocibus, sine vlla exceptione, vt iam antea aliquoties diximus, & sæpe repetere cogimur, quàm vere dicitur Christus Deus & Homo, tam verè quoque concretæ voces & proprietatum & Actionum illi attribuuntur καθ' αὑτὸ. In ἀντιδόσει verò siue μεταδόσει κατ' ἄλλο. At non in abstractis. Nam ὁ λόγος quidem suum & proprium quidem facit sibi hunc Hominem, & quæcunque sunt huius Hominis, siue propria, siue ἐνεργήματα, subsistētiam illi secum communem donans: sed mansit quod erat: & vicissim homo sic assumptus, suas proprietates retinuit. Et quamuis, vt rectè monet Damascenus, ἡ περιχώρησις, id est reciproca attributio naturarum, qua fit vt & Homo ille de Deo πρὸς λόγῳ: & Deus ὁ λόγος de Homine illo Personaliter, id est de Toto Christo, nō autem de Toto Christi καθ' αὑτὸ dicatur, (quomodo etiam reciprocantur ipsarum naturarum & proprietates & actiones) à λόγῳ vtpote donante, non autem ab Homine illo ὑποστάσιν recipiente oriatur: tamen quum non alio genere vnitionis Deus Homini quàm Homo Deo vniatur, ridiculè D. Andreas existimat in ἀντιδόσει Diuina aliter Homini à Deo, quàm Humana Deo ab Homine communicari: & insciēter quoque inter Proprietates illas distinguit, quas Actus ἐνεργητικὰς vocat, & eas quæ in Deo ipso versantur. Nam è contrario, sine vlla distinctione tam & similiter prorsus vera sunt hæc enuntiata, ὁ λόγος est ortus ex semine Dauidis, conceptus ex Spiritu S. passus, mortuus, &c. quam illa, Filius Hominis est æternus, infinitus, Omnipotēns, Omnipræsens: quoniam vna & eadem est Dei τοῦ λόγου cum hoc Homine & omnibus quæ Hominis sunt, quàm Hominis illius cum Deo πρὸς λόγῳ & omnibus quæ τοῦ λόγου sunt, vnitio, nempe personalis: & contrà non tantùm ridiculè & insciēter, verùm etiam impiè,

piè, quicquid huic errori ſuo obtendat, idem D. Andreas, Diuina Humanitati, & Humana Diuinitati attribuit. Sed imparitas huius περιχωρήσεως non in vnitione ſpectanda eſt, neque in illa falſiſſima communicatione naturalium proprietatũ, ſed in eo quòd Humanitas ineffabilibus qualitatibus creatis fuerit donata: Deitate contra (vtpote quæ ſit αὐτάρκης) nihil nec acquirente, nec deperdente. Quis igitur D. Andreæ aſſentiatur, ſcribenti pag. 139. *Totum Chriſtũ & Totum Chriſti* Æquipollere & naturas *modò in vnione, modò extra* Vnionem Conſideranti. *Quid enim*, inquit, *eſt aliud Totum Chriſti, quàm Filius Dei & aſſumptus Homo, & Totus Chriſtus, quàm Filius Dei cum aſſumpta natura humana*? Reſpondeo peſſimè vtrumq; hoc dicendi genus ſic definiri. Quum enim, vt antea ex Damaſceno oſtendimus, *TOTVM*, neutro genere, ſit abſtracta vox, naturas quantumlibet vnitas & in ipſa vnitione conſideratas, tamen diſtinctas, ſiue quales ſunt in ſeſe & nunquam aliter, deſignãs: & abſtracta de concretis non dicantur, ne ipſo quidem D. Andrea dicere audẽte Humanitatem eſſe Deum, vel Deitatem eſſe Hominem: *TOTVM* Chriſti, non definiendum eſt concretis vocibus, Filij Dei & aſſumpti hominis, ſed Deitatis τῷ λόγῳ & Humanæ aſſumptæ naturę. Et viciſſim, quum abſtracta de Concretis dici non poſſint, ne in ipſa quidem vnitione: Totum Chriſtum, id eſt σωματικῶς conſideratum, non rectè definiero eſſe Deitatem τῷ λόγῳ, & Humanam naturam aſſumptam, ſed rectè & orthodoxè dixero, eſſe Deum τὸν λόγον & Hominem illum in λόγῳ ſubſiſtentem. Quamobrem etiam quamuis ὁ θεὸς λόγος dicatur σαρκοποιηθεὶς & Homo ille, θεοθεὶς & λογωθεὶς vt loquitur Damaſcenus, id eſt vt ita loquar, Deificatus & Verbificatus, καθ' ὑπόστασιν, videlicet & ſine confuſione: tamen inde quidem naſcitur θεάνθρωπος & ἀνθρωπόθεος, at non θεανθρωπότης, neque ἀνθρωποθεότης. Age verò expendamus etiam alia ex eodem errore profecta, & in hac diſputatione à D. Andrea pro veris defenſa. Pag. 243. formulam hanc *IN SESE* duobus modis explicat, vno, *quũ abſolutè & ſine alterius reſpectu accipitur: altero, quũ accipitur pro PER SE, id eſt ex proprietate ſuæ naturæ*, quæ duo genera, manifeſtè diuerſa perperam confundit: *tertiò, quum reuera in alio reperitur cui ineſſe dicitur, etiamſi aliunde aduenerit.* In iſtis confuſè nec ſatis etiam verè dictis carpendis nolo tempus terere, ne videar reprehenſionis occaſiones captare, cui potius de ſe tuendo ſit cogitandum. Sed hoc dico, quum in hoc argumẽto τὸ καθ' αὐτὸ & τὸ κατ' ἄλλο opponantur, illud *IN SESE* ad eſſentiales naturarum proprietates ſignificandas pertinere, quę

in Deitate quidem sunt ipsa eius essentia, in illa vero Humanitate assumpta adsunt formaliter: cuiusmodi sunt omnia essentialia illius naturæ idiomata purissima & sanctissima: quibus adiungenda sunt peculiaria Dei dona, quibus Humana illa natura in illo Homine assumpta, supra ipsos etiam Angelos, & supra omne nomen creatum euecta est, primùm quidē, quatenus facta est propria τῦ λόγυ & in illo facta vnum καθ' ὑπόςασιν ὑριςάμενον: deinde quatenus inenarrabilibus creatis & in anima & in corpore donis, supra ipsos omnes Angelos est exornata: & in omnes res creatas imperium adepta. Communicationem autem aliam ἐπίκτητον, nullam ex verbo Dei vel Orthodoxis patribus agnoscimus, nec vnquā vel illam naturam humanam extra Filij Dei ὑπόςασιν, vel illum Hominem, extra τῦ λόγυ vnionem consideramus, etiam quum per se, id est distinctè non separatim, & illam & istum in sese cogitationi nostræ proponimus.

Istud autem quod idem D. Andreas ait pag. 251, cuiusmodi tandem est? *Aliud est vnio naturarum, Aliud Communicatio proprietatum, sicut Aliud est Natura Humana, Aliud Proprietates Humanæ naturæ.* Acutum sanè argumentum? quasi non possint duæ res, vel plures toto etiam genere quàm longissimè diuersæ, vna & eadem donatione donari. Deinde, quid fiet Diuinitatis proprietatibus, de quibus tamen Humanitati collatis, præcipuè, imò vnicè, hîc laborat D. Andreas, quum vt idem ipse pag. 260. testatur, *Diuinitas nihil aliud sit quàm ipsæ eius proprietates, & ipsa eius Essentia?* Sed quod idem, eôdem loco colligit, *negari à nobis Diuinitatem Christi, si nihil præter creata dona Humanitati Christi communicata dicamus* partim in nos, partim in se dicit. In se quidem, verissimū si cum istis comparentur quæ antea citauimus ab ipso scripta pag. 112. in nos verò falsò. Nam dicimus quidem huic Humanitati non esse tributum, vt esset Deitas, quod est Eutychianum, sed huic tamen Homini per Subsistentiam in λόγῳ receptam, dicimus non tantùm ineffabilia creata dona, sed hoc in primis datum, vt ille Homo sit verus Deus: ac proinde (quatenus vnum ὑριςάμενον ὁ λόγος, & Homo ille) Homini etiam illi verè attribui Diuina vt consubsistenti & coëxistenti instrumento, &, licet distincta, manente naturarum singularum & proprietate & energia, ad vnum commune ἀσυμπλεσμα concurrenti: sicut vicissim eadem prosus ratione facere & pati dicitur ὁ λόγος, ea quæ facit & patitur Homo ille in ipso subsistens. Sed hac de re, id est de actionibus θεανδρικαῖς, Orthodoxis & Eutychianis siue Monotheliticis suo loco disseremus. Sed antequàm

quàm progrediamur, ne ista quidem præterire potuimus, vt imperitissimi quiq; intelligãt quibuscum sit nobis negotium. Audiuisti.

Christiane lector, & quidem non sine molestissima repetitione (ad quam D. Andreas identidem eôdem recurrens adigere me subinde non desinit) quàm accuratè abstracta discernamus à concretis: & in quàm pudendos errores impingant qui discrimen istud non obseruãt, vt rectè monuit Damascenus. Audiuisti etiam quàm inscienter D. Andreas Concreti voce personam existimet à nobis significari: Nunc audi portentosam calumniam. *Vos,* (inquit, pag. 291.) *per HOMINEM diuinitatẽ solam intelligitis, idque per tropum qui Metonymia dicitur.* Obsecro verò, qui Concretis vocibus personam intelligere nos verè dixit, quînam verè dixerit, hominis appellatione humanitatẽ à nobis excludi, & diuinitatẽ solam intelligi? Nisi fortè pãrtẽ alteram tollit qui totum ponit? Quod si alterã partẽ tolleremus, cur nó potiùs Diuinitatẽ quàm Humanitatem, quæ propius ad hominẽ accedit. Immò quînã hominẽ non aboleat potiùs, qui id ipsũ tollat, quo homo est, quisquis homo est? Et quæ tandem tropi species inueniri possit, qua homo pro diuinitate accipiatur? & siquis hic esse tropus potest, vnde tandẽ istud D. Andreæ in mentẽ venire potuit, vt metonymiam nos vllã hic somniasse somniaret? Sed vnde tandẽ hęc inter se tot confligẽtia monstra? *Vos,* inquit, *apertè dicitis in respon. vestra ad 8. & 9. Thesin, Homo est Omnipotens, id est, Deitas humanæ naturæ vnita, est Omnipotens, sine omni communicatione reali humanitati facta.* Prouoco ad meæ Antitheseωs contextum, vbi nullam talem subdolam interpretationem inuenies, Christiane lector. Sed hæc duo inuenies, Nos eandem proprietatum quàm ipsarum naturarum κοινωνίαν realem, id est vnitionem, nõ autem aliam vllam, admittere: Homini autem sic vnito cum λόγῳ, id est toti personæ in concreto ab altera natura, nempe Humanitate denominatæ, siue Christo ὅλως non κατὰ μέρη, siue in naturis distinctè considerato, & recte & verè quæcunque sunt Dei propria attribui. Obsecro verò, Hominem tollit, vt eius loco diuinitatem solam substituat, qui vnitum illum profitetur, & illi quæcunque Dei sunt propria, citrà confusionem tamen naturarum attribuit? Et Diuinitatem quînam *SOLAM* statuit, qui vnitam ponit? Sed D. Andreæ videtur Concretum tollere qui ab illo distinguit abstractum, & naturarum alteram abrogare, qui tum illas, tum earum & proprietatum & actionum distinctionem retinet. *Nam,* inquit, pag. 308. *siquis dicat, Totus Christus est Omnipotens, & intelligat hoc tantùm de diuina natura exclusa hu-*

manis, manifesta est deceptio, nam sola diuina natura non est totus Christus. Quis verò sic loquitur, Totus Christus est omnipotēs? Cur enim particula hæc Totus adiiceretur, quum qui Christum nominat, totam ὑπόστασιν illam nominet? Itaque quum Totum Christum, à Toto Christi distinguimus, particulam hanc Totus, non adiungimus Christo grammaticè, quasi Totus opponatur dimidio, sed ita significamus Christi appellationem interdum considerari vt σύνολον, id est vt totum & vnum quiddam, nulla habita naturarū ex quibus illud vnum καθ' ὑπόστασιν constituitur, ratione, & hic est nobis totus Christus: interdū verò secundū naturarū distinctionē, secundū quam est σύνθετον πρόσωπον. Hoc autē discrimē Patres coacti sunt obseruare & statuere, primùm aduersus Nestorium, (quicquid dictitet D. Andreas ab ipso Nestorio deceptus) à quo σύνολος ἡνωμένος ille negabatur, vt qui sicut duas naturas, sic duos filios ac proinde duas personas, siue (vt loquuntur patres) ἄλλον καὶ ἄλλον constitueret: vnum videlicet Filium Dei, Deum: alterum Filium Marię, hominē: ac proinde, vt abstractas meritò naturas duas, sic falsò concretos duos ac totidem personas poneret, sola παραθέσει, σχέσει, ὁμοτιμίᾳ coniunctas, quæ est etiam D. Brentij & D. Andreæ naturarū communicatio & exæquatio. Deinde aduersus Eutychē, & eius sobolem, Monothelitas & Monophysitas, à quibus, contrario prosus errore, vt vna persona, sic natura vna constituebatur. Quid amplius? Nestorianum est, inquit D. Andreas, passionem prorsus à Diuinitate remoueri. Immò merè impium & blasphemum est perpessionem vllam Diuinitati tribuere: nec inter hæreticos numeratus fuisset Nestorius, nisi vt à Diuinitate, quam à Deo non discernebat, sic à Deo verbo passionem remouisset. Verùm quid hoc ad nos, quum ipsemet D. Andreas, vt paulò antè dixi, nos accuset, quòd per Hominem solam Diuinitatem intelligamus? Sed nouum non est illū audire à seipso dissentientem. *Vos*, inquit, pag. 267. *interpretamini, Deus est passus, id est Humanitas, seu caro vnita Diuinitati est passa.* Quid si D. Andreas, in hoc ipso nobis assentitur? Sic enim totidem verbis, pag. 251. *Dicimus nos quoque propria vnius naturæ de altera dici & prædicari*, (Ergo Humanitatis propria de Diuinitate, & Diuinitatis de Humanitae) *κατ' ἄλλο, id est non absolutè & in abstracto, sed in concreto, hoc est, in vnione personali, respectu alterius naturæ.* Illud quidem κατ' ἄλλο verè: istud verò, *In vnione personali*, prorsus ineptè & inscienter. Nunquam enim ne cogitatione quidem separandæ, sed in ipsa quoque vnione distinctè semper cōsiderandæ sunt naturæ, abstractis vocibus significa-

tæ,

tæ, vtpotè quæ in hac vnitione tales semper permaneant, quales sunt in sese. Et mox. *Quũ dicitur Deus est passus, hoc κατ' ἀλλο, id est, respectu Humanitatis intelligendum esse dicitis, quæ in parte inter nos cõsensus est.* Ergo huius ipsius sceleris reus est D. Andreas, cuius nos insimulat. Nequaquam verò, respondet ipse, eadem pag. illud enim *Respectu Humanitatis* interpretamur, *quia nisi Deus factus fuisset Homo, hæc propositio in æternum non fuisset vera, Deus est passus, quia Deus per se* (id est extra vnionem) *& in sua diuinitate est impatibilis.* Egregia scilicet glossa. Nam istud. *Per Se*, (siue pro, extra vnionẽ, siue pro, ex naturæ suæ proprietate accipiatur,) imperitè dicitur, quum, vt modò dixi, nũquam extra Vnionẽ considerandæ sint naturæ, & Deitatis proprietatibus nihil possit accedere. Restat igitur, nihil de Deitate τῶ λόγω posse prædicari, nisi quod in sese habet, siue potiùs, quod in se est. At in sese passibilis non est. Nullo igitur modo nec absq; impietate passio illi attribui potest. Ergo, inquiet D. Andreas, Deum esse passum negas cum Nestorio? Absit. Diuiderem enim personam. Sed vicissim nolo Deitatẽ vllo modo passam cum Eutychete, siue cum D. Brentio aut D. Andrea profiteri. Etsi enim Deitas & Deus, re non differunt: tamen, quoniam humanæ mentis imbecillitas facit vt Deitatem quidem absolutè, Deum autem vt Deitate præditum mente complectamur: (suo id quidem modo, id est non quasi Deitas sit quiddam νοητὸν in hypostasibus, sicut species in individuis creatis subsistens, quum contrà singulæ hypostases in tota & individua Deitate subsistãt, suis relationibus, vt verè & argutè dicit Thomas, habentibus quandam in illis suæ personalitatis veluti principij, rationem) hinc fit vt, quum hac vnitione Deitas non sit facta Humanitas, sed Deus id est ὁ λόγος, siue Filij persona factus sit Homo: idcirco longè magis propriè Deus quàm Deitas, siue natura diuina, humanam naturam assumpsisse dicatur, quæ in Filio Dei illam assumente subsistentiam, id est, hoc vt actu esset, adepta, homo euasit. Ex istis, quemuis vel mediocriter in rebus diuinis eruditum facilè iudicaturũ existimo, cum quo Theologo trãsigatur hoc negotium, id est, vter nostrũ sit Orthodoxus, vnitatem Personæ & naturarum distinctionem retinens: vter & cum Nestorio Personam diuidens, & cum Eutychete naturarum proprietates confundens: quod magis etiam ex istis quæ sequuntur elucebit. Ita enim inquit D. Andreas, pag. 252. *Soli Humanitati tribuere passionem qua genus humanum redemptum est, vt Filius Dei sua Diuinitate prorsus ab ea excludatur: siue vt passio nihil ad Deitatem pertineat, est manifesta corruptio & deprauatio articuli de*

Paſsione Chriſti. Audis, Chriſtiane lector, quousque efferuescat D. Andreæ zelus? vereor ne contra conſcientiam quoque: certè non ſecundùm ſcientiã. In qua enim ſchola didicit, particula κατ' ἄλλο, (qua ipſemet contẽdit, non tantùm diſtinctionem naturarum, ſed etiam ipſius diſtinctionis cauſam, id eſt arctiſſimam vnitionem declarari) vel Deitatem ab humanitate, vel Humanitatem à Deitate remoueri? Sed quid huic diſputatori facias, qui modò teſtatus à ſe non confundi abſtracta cum concretis: modò concretũ cum perſona confundens, modò INSESE, pro PER SESE, id eſt vel proprietate naturæ, vel extra Vnionem accipiens: modò nos accuſans, quaſi hominem pro diuinitate accipientes, humanitatem excludamus: modò tolli à nobis diuinitatem poſita humanitate affirmans, quiduis dicit, quiduis negat: Diuinitatem paſſam eſſe qui dicit, anathema, ſit. Deum τὸν λόγον, qui paſſum eſſe negat, anathema ſit. Nam ex illo, perſonæ diſſoluito Neſtoriana: ex iſto, Eutychiana confuſio neceſſariò cõſequitur. Pertinet igitur iſta paſſio ad Deum τὸν λόγον: (caro enim hæc quæ paſſa eſt, ipſius Caro eſt) &, ſi myſticorum ſuorum membrorum, minimè tamen ſecum hypoſtaticè coniunctorum, afflictiones ſuas dicit, Sauli inclamans, cur me perſequeris? annon multò magis ad illum pertinent, qui carnẽ ipſius transfixerunt, & animã ipſius, maledictis ipſa corporis crucifixione crudelioribus, impetierunt? Sed valde fallitur D. Andreas cum Eutychete, ſi Chriſti Deitatẽ aut in hac vita, aut in altera illa glorioſa, illi noſtræ carni per Subſiſtẽtiam ipſi donatam vnitam, ſomniat vlla perpeſſione fuiſſe affectam, vel nunc in glorioſa illa vita, Humanitatem ipſius ſic, vel ab inimicis ſuis in ſeſe, vel in myſticis membris ſuis lædi opinatur, vt vllam beatiſſimæ illius Maieſtatis alterationem vel leuiſſimam patiatur. In iſtos autẽ inexplicabiles errores præcipitem ruiſſe, nec ſeſe expedire poſſe D. Andream magiſtrum ſuum ſecutum, & eorum deinceps omnes diſcipulos, adeò vt ſcribere ſit auſus blaſphemias illas inexcuſabiles, *Diuinitatem hominis Chriſti non eſſe illam ὑποστῆναι: Res omnes à Deo ſubſiſtentialiter ſuſtentari: Chriſtum hominem hoc habere commune cum omnibus ſanctis, quòd cum eo Deus ſit perſonaliter Vnitus:* hæc inquam, nemo mirabitur, qui hæc ipſius verba legerit ex pag. 257. quæ certè non memini audire me ab ipſo mecum non diſputante, ſed declamante. Etſi enim tam multa congerebat ἀμεθόδως vt vix animo poſſem illa ſingula conſequi, ne dum vt ad illa poſſem ſigillatim reſpondere: tamen vix fieri potuiſſe arbitror, vt tam abſurda ſine reſponſione præterirem: ſunt autem iſta, *Si à paſsione Chriſti Diui-*

Diuinitas eius remouetur, neque aliam communicationẽ admittis, quàm eam, quòd humanã naturam sustentauerit, ne patiendo succumberet: hanc Christus cum omnibus sanctis communem habebit: siquidem Deus omnes sanctos in passione ipsorum sustentauit, ne succumberent. Hic audimus quid sustẽtationis nomine, (vnde hypostatica vnitio nomen accepit) tum existimet ipse D. Andreas, tum nos existimasse comminiscatur. Nobis igitur, si verum esse potest ipsius somnium, Sustentari humanam naturã à Dei verbo, nihil aliud declarat, quàm eius potentia & viribus fulciri: ipse verò cum suis non hoc tantùm loco, sed millies inculcat assumptionem carnis hypostaticam necessariò definiendam esse, (Thes. suæ disputationis de Maiestate hominis Christi, sexta) exæquatione humanitatis cum diuinitate, ἐξουσία, potentia, gloria, Maiestate. Et in Apolog. ad Thes. Ingolstad. modò donorum in assumptam carnem reali effusione, quæ Sanctis distribuat dimensa, Christo immensa, modò Omnipotestate Christo & in cælo & in terra concessa, ab ipso incarnationis Verbi momento. Verum enimuerò, quòd ad id, quod nobis impingit attinet, quę hæc calumniandi audacia est, Sustentationis hypostaticæ nomine, nihil à nobis præter fulturam quæ Christi carnem in illa, quam pro nobis subiit κατάρα, sustinuerit? aut vt loquitur pag. 266. creata tantùm dona Humanitati Christi à nobis attribui? Vnde inquam, iurè potuit suspicari D. Andreas, nos vel vsque adeò imperitos, vel tam prophanos, vel tam ipsius similes esse? Non enim aliud, & D. Brentium & ipsum, initio saltem Vbiquitatis istius in Ecclesiæ theatrum productæ sensisse, quis ausit negare? vt qui, præter ea quæ modò citauimus, scripserint, Dei ἐξουσία non aliter impleri Christũ quàm Petrum, & Christum non dici Deum, quòd Deus sit in ipso, qui in omnibus creaturis est, non modò natura sed etiam secundum Subsistentias? Et vt ipsorum quoque dogma expendam: quid ineptius esse potest ea hypostaticę vnitionis definitione ab effectu, quem D. Andreas imaginatur, sumpta: in qua prætermittatur proxima & propria illius effectus causa? Nam vnde tandem proximè dependet illa omnium Deitatis proprietatum in humanitatem effusio, siue, vt nunc paulò prudentiùs loquitur, cum humanitate communicatio (qua vna D. Andreas vnionẽ hypostaticam definiendã contẽdit, & quam ab ista sua communicatione vt effectum à causa secernit) nisi ab vnitione ipsius Deitatis à quo proprietates illæ separari nõ possint, vt ipsemet pag. 271. agnoscit? At tantum abest vt in illa hypostaticæ vnitionis definitione, vel tenuissima fiat ipsarum naturarum vnitionis mentio, vt contrà expressè inculcet D. Brentius, &

repetat D. Andreas, non aliam esse inhabitationem Dei in Christo quàm in Sanctis, excepta proprietatum Omnium & Nonnullarũ imparitate: & Diuinitem Hominis Christi non esse illam ὑπόστ., sed illam cum carne illa à secunda hypostasi communicatam, quæ Diuinitas si non est ὑπόστ., certè vel qualitas est creata, vel inanissimum figmentum, neque hìc placet repetere quod antea pluribus refutaui de quibusdam vnitis diuinis proprietatibus, velut æternitate & infinitate, à quibus Hominem illum licet hypostaticè vnitum non debere denominari D. Andreas, magis etiã ridiculè imaginatur, quàm si negaret τὸν λόγον non posse creatum & finitum denominari. Qua de re tamen, age, semel audiamus Orthodoxam fidem ore Damasceni totidem istis verbis loquentem, ac primùm quidem de Abstractis. *Quum de Deitate loquimur, ea quæ Humanitati propria sunt, ipsi minimè assignamus: non enim passibilem aut creatam Deitatem dicimus. Nec rursum carni, siue Humanitati tribuimus Deitatis proprietates. Nec enim carnem, siue Humanitatem, increatam dicimus.* Vnde igitur, nisi ex Eutychetis lacunis illa Humanitatis Omnipræsentia, Omnipotentia, Omnimaiestas? Nam in genere loquitur Damascenus, & communicationem proprietatum inter naturas ne verbalem quidem, nedum realem vllam vel in Diuinitate, vel in Humanitate admittit: vt eiusdem sit prorsus impietatis dicere Humanitatem, siue carnem illam, Omnipræsentem, Omnipotentem, Omniscium, vt & infinitam, Æternam, Increatam dicere, atque Deitatẽ natam ex Maria Virgine, passam, mortuã, sepultam, cogitare. Neque tum vnquam audita fuerãt in Abstractis vocibus illa κρησφύγετα Kemnitiana, Subiectiuè, vel nõ Subiectiuè, In Se, vel, in Alio, Per se, id est, extra vnionẽ, vel in Vnione, propria virtute vel aliena, quibus veluti fucis personati, Nestorius quidẽ ad Vnionis dissolutionem, Eutyches verò ad proprietatum inter naturas realem communicationem, id est confusionem reuehendam ab Vbiquitariæ tragœdiæ actoribus producti, nostro rursum seculo comparuerunt. De Concretis autem, tum Christi tum Dei & Hominis vocibus, sic idem eodem in loco Damascenus. *At verò quum de hypostasi verba facimus, siue ab vtraque parte simul, siue ab altera duntaxat eam appellemus, vtriusque naturæ proprietates ipsi imponimus. Etenim Christus (quæ vox vtrumque & Deus & Homo est) dicitur & creatus & increatus, & passibilis ac impassibilis, & quando ab vna parte filius Dei & Deus dicitur, coniunctæ naturæ, hoc est carnis proprietates recipit. Nam & Deus passibilis nominatur, & Dominus gloriæ crucifixus, non quà Deus est, sed quà idem etiam Homo est,* non igitur secundum

cundum diuinitatem: nec diuinitatem excludit, qui, Deus eſt paſſus, interpretatur ſecundum Humanitatem vnitam: eodémque modo, quum nullum in proprietatum attributione diſcrimen ſit, quale Vbiquitarij imaginantur, (quamuis in περιχωρήσει ὁ λόγος dominetur) *quum Homo & Filius hominis appellatur, diuinæ Eſſentiæ proprietates & ornamenta ſuſcipit. Puer enim antiquior omni æuo dicitur & Homo principij expers* (cur igitur æternum, infinitum, increatum illum denominari non patitur D. Andreas?) *non id quidem qua ratione puer & homo eſt, ſed qua Deus, æuo omni prior, ad extremum puer factus eſt. Atque hic eſt modus ἀντιδόσεως, id eſt dationis mutuæ ſiue reciprocæ, alterutra videlicet naturæ alteri viciſſim proprietates ſuas concedente, propter perſonæ identitatem* (non igitur in Abſtractis, id eſt naturarum ipſarum reſpectu) *& mutuam inter ſe reciprocationem* (Dei videlicet & Hominis, non autem Deitatis & Humanitatis) *qua ratione de Chriſto dicere nobis licet, Hic Deus noſter in terra viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, & Hic Homo, increatus eſt & impaſſibilis & omnis circunſcriptionis expers.* Non eſt ergo Chriſtiana, ſed Eutychiana hæc enuntiatio, Vbicunque eſt Diuinitas, ibi eſt Humanitas, Nec iſt quoque, Caro Chriſti & ſanguis Chriſti ſunt *ESSENTIALITER* & reipſa vel in terris & cœlis ſimul, vel vbique, vel IN, SVB aut CVM hoc pane & vino: Sed hæc vera eſt & Chriſtiana, Homo Chriſtus eſt vbique quatenus vnus & idē Deus & Homo eſt: Carnis autem & ſanguinis Chriſti vera in Cœna Domini præſentia & præbitio, ne ab hypoſtatica quidem vnitione, nedum à commentitia & merè Eutychiana Omnipræſentia dependet, ſed à Sacramentali coniunctione ex Domini pactione, quę ſicut ad Spiritualem animæ & corporis vitam in Chriſto obtinendam, vt vltimum finem, fertur: ita ad mentem accedentium dirigitur, & quidem adhibitis externis ſignis, quibus corroborata fides Chriſtum & omnia eius beneficia, magis ac magis ſibi applicet, vt quemadmodum corporeo cibo vita hæc corporea fouetur, ita Spiritualiter cœleſti cibo recreatus internus homo, in Chriſto adoleſcat, donec ipſo plenè in regno cœleſti totus perfruatur. Et de his quidem plus ſatis, niſi aliquid amplius à me extorqueret hæc à D. Andrea in doctiſſimum & beatæ memoriæ virum D. Petrum Martyrem contorta pag. 295. inde arrepta occaſione quòd ille D. Brentio reſpondens, Omnipræſentiam realem & Eſſentialem carnis Chriſti inde quoque adſtruenti, quòd omnem habeat in cœlo & in terra, rebus omnibus creatis adminiſtrandis

poteſtatem, dixit illud ex iſto non conſequi: ſat is enim ſufficere ad exercendum illud in hac carne & per hanc carnem imperium, robur illud diuinum quo ὑποστάσει τοῦ λόγου ſuam illam humanitatem ſuſtentat & fulcit. Quod veriſſimè dictũ D. Brentius ad hypoſtaticam ipſam vnitionem trahens (quaſi vir ille magnus ſubſiſtentiam illam carnis aſſumptæ in æterna filij Dei hypoſtaſi, illa ſuſtentatione & fultura definiret) quis non videt, quanta virum tantum iniuria affecerit? Quod autem idem D. Andreas eadem pag. 295. ea ratione tuetur rectè, imò neceſſariò fuiſſe à ſuo magiſtro hypoſtaticam vnionem cõmunicatione proprietatũ definitam, quòd à priore adhibitis ſpecificis differentiis definiri non poſſit (falſam autem eſſe illam quam ponit ἰδιωμάτων communicationem, iamdudum euicimus,) falſiſſimè quoque & ineptiſſimè ab ipſo ſcriptum fuiſſe, ſic demonſtro. Vnitionem conſtat in actionis prædicamento numerandam, ac proinde ex eo quod in altero efficit, ſpectandam & definiendam eſſe ipſius naturam. Conſtat & illud vnitionem eſſe coniunctionis ſpeciem, cuius ſpecificam differentiam quid obſtat quominus, vt & aliarum cõiunctionis ſpecierum inueniamus? Quod enim hoc myſterium ſuperat ipſorum etiam Angelorũ captum, id certè non euenit ex ipſa ſimpliciter hypoſtaticæ vnionis natura, quæ Vnitio neque ſumma, neque ſimpliciſſima eſt, vtpote quam ſuperet trium diuinarum perſonarum in vna eadémque eſſentia vnitas omnis compoſitionis expers: ſed ex dignitate & incomprehenſibili Maieſtate Perſonæ Filij Dei, ſeſe quodammodo in hoc myſterio exinanientis proficiſcitur. Agedum igitur, quum iſtius hypoſtaticæ vnionis duæ tantùm ſint ſpecies, vna in homine quouis: altera in Chriſto Deo & Homine, cõmunem huic vtrique definitionẽ inueſtigemus, qua hæc coniunctio à cæteris omnibus diſcernatur, ac deinceps quid ſingulis illis duabus ſit proprium videamus. Sic igitur vtramque commodè & verè definiri poſſe exiſtimo, vt dicatur ea eſſe coniunctio per quam duæ naturę diſtinctæ in ſeſe vnâ cum proprietatibus, quibus à cęteris naturis diſcernuntur, permanẽtes, ad vnius cuiuſpiam actu ſubſiſtẽtis perſonæ conſtitutionẽ concurrunt. Sic enim nulla eſt alia cõiunctio à qua hæc hypoſtatica non diſcernatur, ſiue ea quæ coniunguntur, ſiue coniunctionis modum, ſiue terminum & quod ex coniunctione illa reſultat conſideremus: quæ ſunt à doctiſſimis ſcriptoribus ſigillatim iampridem aduerſus Neſtorianos, Eutychianos, Monothelitas, Monophyſitas, & alios id genus hæreticos damnatiſſimos explicata. Diſcrimen autem inter hypoſtaticam in Chriſto & homi-

nibus

nibus quibuſuis vnitionem, tribus in rebus poſitum eſt. Primum videlicet in naturarum quæ vniuntur differentia: Deinde in illarum vnitionis modo peculiari: Ac denique in ipſo vnitionis termino. Nam ad Hominis conſtitutionem concurrunt quidem duæ naturæ diuerſæ, ſuiſque permanentibus proprietatibus diſtinctæ, ſed quarum nulla ante vnitionem eſſet perfectum aliquid actu ſubſiſtens. Nam neque anima, neque corpus per ſe eſt Homo. Deinde coëunt iſtæ naturæ compoſitione naturali, vt partes ad totum aliquod conſtituendum. Tertiò, Vnum & Totum iſtud eſt tertium quiddam actu ſubſiſtens, & tunc primùm hac vnitione creatum, quod Hominem vocamus: vt quum de hominis natura agitur, meritò tres naturæ recenſeantur, vna Spiritualis, altera corporea, neutra tamen perfectum ὑφιστάμενον: tertia denique ex illis compoſita vt aliud quid, in perfecta hypoſtaſi ſubſiſtens. At in Chriſto, duæ quidem naturæ vniuntur, diuina videlicet ad perſonam Filij determinata, ac proinde perfecta & actu ſubſiſtens: & humana, tota quidem ex anima & corpore compoſita, non tamen per ſe nec in ſe ſubſiſtẽtibus. Et quòd ad modum attinet, quo duæ iſtæ naturæ vnitæ ſunt, nullã habent partium rationem. Non enim poteſt ſimpliciſſima Diuinitas ſubire cum alio compoſitionem ſiue conſtitutionem: ſed diuina illa natura, non in hypoſtaſi Verbi eo ipſo vnitur, quòd hypoſtaſis illa, naturam hanc aſſumendo creat, ſuam ipſius Subſiſtentiam ei communicans, quæ vnitio propterea dicitur καθ' ὑπόστασιν, cuius nullum exemplum in rebus creatis extare poteſt, quum vnaquæque natura creata in ſuis indiuiduis actu ſubſiſtat. Itaque ex hac vnitione perſonæ Verbi aſſumentis, & naturæ aſſumptæ, non naſcitur hypoſtaſis noua, ſicut Homo quiſpiam, ex corpore vt materia, & ex anima vt forma vnitis, & vt ex partibus componentibus, exiſtere incipit: ſed, ſine compoſitione & concretione vlla, hypoſtaſi verbi ſemper in ſeſe ſimpliciſſima permanente, euadit Chriſtus ille θεάνθρωπος, vnum quidem ſubſiſtens, nempe Filius ille Dei æternus, ſed tamen duplici ratione ſubſiſtendi, id eſt quantùm illa perſona poſt illam aſſumptionem, iam in duobus ſubſiſtit. Itaque hoc demum reſpectu Chriſtus Perſona compoſita dicitur: non ratione partium videlicet, ſed numeri, quoniam illarum naturarum non eſt compoſitio in tertio, ſed ſimpliciſſima vnio per Subſiſtentiam inferioris naturæ in principaliore ſubſiſtente: vt hæ naturæ non poſſint partes, niſi per analogiam quandam, dici: quia nimirum, vt partes diuerſæ vniuntur in toto, ſic hæ duæ naturæ in vno ſuppoſito quod eſt

Filius Dei concurrant. Hinc fit etiam vt natura Diuina, siue Deitas, dici non debeat naturam humanam assumpsisse, propter multiplicem videlicet ambiguitatem quæ Sabellianis, itidémque iis fauere videretur qui naturam Humanã somniarunt, non in individuo, sed vniuersaliter assumptam, quum ne individuum quidem sit nisi in Filij hypostasi. Immò, ne Deitas quidem verbi, dici absque ambiguitate potest, naturam humanam assumpsisse, quam coactus est Cyrillus explicare. Etsi enim Deitas verbi, & Verbum, vt Deitas & Deus, reipsa vnum & idem sint: non vno tamen & eodem modo à nobis semper ista considerantur. Naturam enim verbi quum dicimus, non hypostasin ipsam & subsistentiam diuinam, sed ipsam Essentiam in verbi persona consideratam significamus. Sed ὁ λόγος potiùs ac magis propriè dicendus est humanam naturam assumpsisse, ac proinde homo factus, natus, passus, mortuus: non autem Deitas homo facta, incarnata vel humanata. Nec λόγος ipse propriè dici potest Hominem assumpsisse, sed humanam naturam: Illud enim quod assumitur, nõ est assumptionis terminus, sed assumptioni præintelligitur. Homo verò humanam naturam in suppositò propriè declarat, quod quidem suppositum humanæ naturæ in Christo non aliud est quàm ipsa verbi hypostasis: sic videlicet hac anima & hoc corpore in Christo inter se vnitis, (quoniam alioqui vera non esset Humanitas) vt ex hac vnione non constituatur noua hypostasis seu persona, sed ipsum coniunctum hypostasi verbi præexistenti adueniat, saluis semper, (vt in communi hypostaticæ vnionis definitione diximus,) & distinctis manentibus, tum naturis, tum ipsarũ proprietatibus & operationibus. Et de his quidem hactenus: ex quibus intelligere quemuis posse arbitror, falsum esse vnionem hypostaticam à priore nõ posse definiri, & non modò falsam sed etiam ridiculam esse, non minùs quàm impiam eius definitionem, ab omnium proprietatum in naturis ipsis confictà siue effusione, siue quacunque communicatione, quæ sit ab ipsa naturarum vnitione diuersa.

2. & 3. Adhibentur similitudines non probãdis, sed illustrandis rebus. Et præterea, quum nullum simile sit idem, constat in recto illarum vsu spectandum semper esse scopum ad quem diriguntur, nec vnquam ab illo deflectendum, vel longiùs excurrẽdum. Probet igitur priùs D. Andreas realem illam suam inter naturas communicationem proprietatum ab vnitione ipsarum naturarum diuersam, id est tenebras esse lucem. Probet præterea patres Orthodoxę aduersus Nestorianos & Eutychianos fidei propugnatores hoc ipsum

quod

quod oppugnabant affirmare ista similitudine voluisse, & vicerit. Cæterùm hæc similitudo prorsus est ἑτερογενὴς, præbens videlicet coniunctionis exemplum, vel duarum substãtiarum, per crasin siue diffusionẽ vnius substantiæ in alterã: vel, vt alij volunt, accidentis cũ subiecto: sicut calor, non autem ipsa ignis substantia in aquam etiam immeat. Vtrumuis autem statuamus, ingens hîc discrimen apparet. Quòd si ab hypostatica Christi vnitione tam diuersa est ista coniunctio, quînam inter se comparabuntur istius & illius effecta? Vsi sunt tamen illa similitudine patres non incommodè, sed duntaxat secundum analogiam quandam. Primùm quidem aduersus eos omnes qui in Persona Christi duas naturas non agnoscebant: quorum alij diuinam, alij humanam naturam tollebant. Deinde aduersus eos, quorum princeps fuit Nestorius, qui vt Diuinitatem ab Humanitate, sic Deum λόγον ab Homine separantes, necessariò ἄλλον καὶ ἄλλον, id est quot naturas, tot personas in Christo duplici errore nefariè constituebant. Diuinitatem enim ab Humanitate vt separare nunquam, sic distinguere, manente semper Personæ vnitione, oportet: & Deum cum Homine illo coniunctim semper considerare, etiam quum ab altera tantùm natura persona denominatur. Et tamen iidem siue seipsos fallentes, siue errorem suum tegere conantes, vnum quidem Christum fatebantur, sed vt doctè & perspicuè explicat Damasc. lib. 3. cap. 3. non καθ' ὑπόστασιν sed κατὰ σύνθεσιν, id est non vnitione hypostatica, sed secundũ cõpositionẽ, quam etiam προσωπικὴν, id est Personalem callidè vocabant, nomine videlicet τοῦ προσώπου: nõ ipsam τοῦ λόγου ὑπόστασιν, vtrique in Christo naturæ substratam, sed ipsum Christũ: Hominem quidem natura & persona sua, Deum verò ὁμωνύμως, id est παραστάσει habituali, siue dignitate, siue eadem voluntatis conspiratione, siue honoris æqualitate, siue approbatione & bene placito Dei patris. Qua ratione verò naturas isti disiungebant, eâdem quoque illarum proprietates & operationes separabant. Alij, contrario errore, quorum princeps fuit Eutyches, vt vnam Christi Personam, sic vnicam naturam statuebant ex duabus naturis, non καθ' ὑπόστασιν vt Orthodoxi, non κατὰ σύνθεσιν, vt Nestoriani, sed κατὰ σύγκρασιν, siue κατὰ φυρμὸν & σύγχυσιν, id est massa quadam & commixtione conflatam: vnde consequebatur nec Deum nec hominem esse Christum, sed quiddam tertium ex Deitate & Humanitate sic confusis, conflatum: quod sine insigni blasphemia ne cogitari quidem potest. Qualem autem naturarum, talem quoque proprietatum & operationum confusionem necessariò inuehebant. Orthodoxi verò

hypostaticam veram vnionem aduersus vtrosque semper tutati sunt, in qua & vnica hypostasis seu Persona τῶ λόγῳ, vtramque naturam sic vnitã, vt ita loquar, suppositans statuitur: & tum proprietatum, tum ἐνεργειῶν ab ipsis naturis inseparabilium distinctio, vt & ipsarum naturarum absque vlla conuersione, vel confusione, vel mutatione, vel diuisione, vel distantia conseruatur. Hæc igitur illa sunt ad quæ dirigenda est illa ferri, siue carbonis ardentis similitudo, sic à veteribus accommodata. *Quemadmodum*, inquit Damascenus, lib. 3. cap. 15. *in ignito gladio naturæ seruantur, ignis videlicet & ferri: sic & duæ actiones & earum effecta. Retinet enim ferrum* (ergo reipsa non communicat) *incidendi vim, ignis verò vrendi: & incisio quidem est actionis ferri effectum: vstio verò ignis. Et seruatur horum differentia ac discrimen, tum in ferri incensa incisione, tum in incisa vstione, quamuis post vnitionẽ, neque vstio sine incisione, neque incisio sine combustione fiat. Nec quia duplex est naturalis actio, duos propterea candentes gladios dicimus. Nec rursus quia vnus duntaxat incensus est gladius, ob eam causam essentialem eorum differentiam confundimus. Eodem modo etiam in Christo Diuinitatis quidem ipsius diuina atque Omnipotens actio est, Humanitatis autem ipsius, Humana ac nostræ similis.* Et Cyrillus, *Sic*, inquit, *intellige de Christo, Adunatus humanitati Deus seruauit quidem ipsa in eo id quod erat, & ipse permansit id quod erat*, (vbi igitur realis illa naturalium proprietatum & actionum communicatio, siue Diuinitatis in Humanitatem, siue Humanitatis in Deitatem? Est enim vna & eadem reciprocans naturarum vnitio, quamuis assumens naturam persona dominetur) *Semel tamen adunatus, quasi vnus iam cum ipsa putatur, ea quæ sunt ipsius sua faciens, & conferens ei etiam ipse naturæ suæ operationem*, nempe, vt loquitur Basilius in huius eiusdem similitudinis explicatione, non μεταβάσει siue ἀντιμεταβάσει Eutychiana naturarum, sed μεταδόσει vtrinque mutua, tum proprietatum, tum ἐνεργειῶν & ἐνεργημάτων, tali, qualis est ipsa naturarum Vnitio. Quis ergo fieri potuisse non miretur, vt pro hoc ipso dogmate, tum Nestorianæ separationis naturarum, tum Eutychianæ confusionis proprietatum & ἐνεργειῶν confirmando, illa ipsa similitudo proferretur, quæ ad illud ipsum euertendum est à patribus, & allata & explicata? Sed quid hodie non licet in Ecclesiam inuehere, in tanta plerorumque & magistrorum & discipulorum? Sed hic quoque me reprimam.

4. Similitudo, ab hypostatica animæ & corporis, ad constituendum hominem vnitione, desumpta, etsi quatenus hypostatica est, propiùs

piùs ad illam in Christo accedit, vtpote quæ sit eiusdem generis: tamen quum, vt antè diximus, & quòd ad ipsas naturas quæ vniuntur, & quòd ad ipsum vnitionis modum peculiarem, & quòd ad vnitionis terminum, & alias plurimas circunstantias attinet, longè latéque hæ duæ vnitiones inter se differant, non est quoque longiùs quàm ad illa, de quibus modò dixi, applicanda. Qua de re siquis pleniùs velit erudiri, legat velim quæ tum à veteribus aduersus hoc ipsum Eutychianum dogma, tum à plurimis recentioribus, ne exceptis quidem qui Pontifici Romano sunt addicti, & hac in re nobiscum Orthodoxi, aduersus eosdem errores, multò etiam certiore cum inscitia & impudentia hoc nostro seculo repullulantes, perscripta sunt: & quidē, vt breuissimè, sic etiam appositissimè à doctissimo viro Lamberto Danæo aduersus Kemnitium disputata. Certè qui realem istam proprietatum naturalium inter ipsas naturas communicationem probare contendunt, & quidem in primis illam Omnipræsentiam, cuius probādæ causa & Nestorius & Eutyches sunt ab inferis reuocati: primùm omnium probent oportet, sicut ex animæ & corporis vnitione nascitur Hominis persona antea non existens, ac proinde cuius pars vna, vt imperfecta, opem alterius necessariò & sine exceptione ad perficiendam operationem suam requirat: sic de Verbi persona, duabus in Christo naturis subsistentiam præbente: quarum vna nempe diuina penitus est αὐτάρκης: altera sua propria personalitate carens, & suis alióqui proprietatibus omnibus distinctis cōstans, esse constituendū. Deinde ☞ sicut corpus & anima res sunt, etsi non eadem ratione, tamē suapte natura finitę, ita vt vna latiùs quàm altera non pateat: sic quoque Diuinitatē in assumpta humanitate concludi. Et vt ista falsissima probari posse concedam, num propterea tamen colligi poterit ex hac similitudine, corpus aut viuere, aut sentire ea ipsa vi aut virtute qua vitam in sese habet anima, & res sensibus obiectas apprehendit & discernit? vel quoniā intellectus ex obiectis phantasiæ imaginibus ratiocinatur, idcirco dici posse corpus intelligēs, atque adeo illius ipsius essentialis intelligendi facultatis particeps, quæ ipsa mens hominis est? Quæ quum absurdissima, falsissima, & ipsis pueris ridicula sint, quid, obsecro, de communicatione Essentialiū Deitatis proprietatum ab vbiquitariis inuecta sentiendum est? de qua loquens D. Andreas pag. 260. *Nos*, inquit, *in natura humana, nullam creatam vel Diuinitatem, vel Omnipotentiam docemus aut docuimus vnquam, quæ Humanæ naturæ habitualiter insit seu subiectiuè: de quo etiā præfatio libri Concordiæ testatur.* Immò verò verè exitia-

lis μήλου ἔριδος, de quo nimium eheu verus quidem vates his verbis cecinit,

Aut ars Vulcanum, aut forceps ignara fefellit,
Εἰρήνην *voluit cudere, cudit* Ἔριν.

Agnoscimus enim, inquit ibidem D. Andreas, *in Christi persona, vnam tantùm Diuinitatem & Omnipotentiam illam æternam, quam Christus cum Patre & Spiritu Sancto Essentialiter, cum assumpta autem humana natura personaliter, verè & realiter communem habet.* Quid audio? Nam si hæc vera sunt, quid istis fiet iam pridem à D. Andrea scriptis? *Diuinitas Hominis Christi, non est illa* οὐσιώδης, *& æterna cum Patre & Spiritu Essentia communis: sed communicata* (Humanitati videlicet assumptæ) *à secunda hypostasi.* Si ab hac impietate D. Andreas seriò resipuit, verum dico, est de quo illi gratuler: quem tamen optassem ad tantis de rebus disputationem aliunde quàm ex Magistro suo D. Brentio paratiorem accessisse. Sin minùs, quis meritò mirabitur assentiri me illi non posse, qui à seipso tantopere dissentiat? *Sed*, inquit, *hæc Diuinitas, etsi numero sit vna, tamen ratio eius diuersa est, quando Per Se, & In Se, suapte natura, & quando in vnione naturali consideratur, ideóque participans & participata ab August. dicitur.* Ego verò neque apud veteres, neque apud vllius ætatis Theologos Orthodoxos, θεότητα Christi, vnquã legi in Christi persona vel extra vnionem considerari, vel in ipsa vnione, aliter quàm qualis est in Sese spectari: quum, vt aliter fiat, nõ patiatur hypostaticæ vnionis definitio. Sed facilè ipsi concessero, θεότητα (quæ propriè Deitas appellanda est) modò vniuersaliter, quatenus tribus illis personis communis est, (qua ratione vnica & eadem est,) considerari: modò relatè, &, (quanuis sine multiplicatione, (tamen determinatè ad singulares personas spectari. Concedo & illud, θεότητα & θειότητα, re differre. Nam illa quidem est vnica & Essentialis, propter quam Homo iste dicitur & est verus Deus, vtqui nõ in Sese, sed in Deo ad personã filij determinato subsistat. θειότητος autẽ, id est Diuinitatis nomine intelliguntur χαρίσματα, Subiectiuè in carnem illam summè benedictam, vt in caput nostrum, abundãtissimè effusa, vt in ipsius membra exundent. Sed vsus inualuit iampridem apud Latinos scriptores, vt quum de Christo loquuntur, Diuinitatis nomine non aliud quàm Deitatem ipsam τοῦ λόγου intelligant. Sed D. Andream cogor hîc, si non malæ conscientiæ, magnæ certè oscitantiæ arguere, vt illum sanè video veteres ex quibus hæ controuersiæ cognoscendæ sunt, vel nunquam, vel negligenter admodum legisse, vtqui citare audeat Augustinum, quasi Essen-

Eſſentialem Deitatem modo participantem modo participatam faciat: quam falſitatem agnoſcet qui Auguſt. inſpicere volet in in Pſalm. 119. litera Heth.& 121.& pſalmum. 146. vt ipſe numerat, niſi forte D.Andreas,Oſiandri quoque,infelicis memoriæ viri,delirium ſecutus, communicari credentibus eſſentialem quoque Chriſti iuſtitiam contendat.

Quid hoc homine facias, Chriſtiane lector, cui *Diſtinctè* idem declarat atque *Diuiſim & ſeparatim?* Quaſi verò vel Eſſentiæ diuinæ vnitatem ſcindat,qui tres perſonas illis ſuis relationibus re ipſa inter ſe diſtinguit,& in communi quoque Eſſentiali trium illarum perſonarũ, ad extra, vt in ſcholis loquũtur, operatione,diſtinctionem illam perpetuam ſeruat,aut quaſi,vt Hominis cuiuſuis perſona ſtatuatur, tollenda ſit duarum,ex quibus vt partibus,conſtituitur,naturarum, & tum proprietatum, tum actionum diſtinctio. Quaſi denique,(vt ſimilitudinẽ quoque igniti ferri vrgeamus,)ferrum, & ignem in ferro neget componi, qui vt ignem eſſe ferrum, vel ferrum eſſe ignem inficiatur, ſic diſtinctè ferro quidem inciſionem,igni verò vſtionem attribuat. 5.

Quis ſatis ſanæ mentis inficiari poteſt, ſi in vnitione hypoſtatica diſtinctæ manent ipſæ naturæ, manere quoque ſimiliter diſtinctas naturarum proprietates,& illarum itidem energias? Quod vtrúmque antecedens quum concedat D. Andreas, hæc ipſius collectio, quòd ſcilicet hoc poſito, nõ videatur tota perſona agere, (quaſi nõ vt partes ipſæ ad totũ conſtituendũ,ſic & earũ proprietates, eâdem ratione, & earundem diſtinctæ actiones ad commune perſonale ἀποτέλεσμα non concurrant)refutatione non indiget,ſed helleboro. 6.

Rurſum D.Andreæ Neſtorianus eſt,qui naturas diſtinguit, quũ tamen ipſe non aliam vnitatem perſonæ quàm Neſtorianã agnoſcat,vtpote cui vt Orthodoxę patrocinetur. Sublata verò naturarum diſtinctione, quænam alia quàm Eutychiana poni poteſt ἐνεργειῶν communicatio?Et tamen idem D.Andreas,ſibi viam ad veritatem patefacit,ſi modò poſſit in animum inducere, vt in viam redeat,vnde tam procul aberrauit. Nam ſi communes eſſe arbitratur ſingularum naturarum actiones,non quòd vna ſi actio,(quum totidem ſint oporteat energiæ,quot ſunt naturæ,& tam in ipſa quoque vnione diſtinctæ, quàm ſunt naturæ diſtinctæ) ſed quòd ad vnum finem id eſt vnum perſonale apoteleſma tendant,quaſi ex biuio concurrentes:tota hæc controuerſia inter nos eſt compoſita. Sed quorſum hoc ad Omnipræſentiam realem & Eſſentialem cor- 7.

a

nis Christi,& oralêm eiusdem manducationem?

Rursum abutitur D.Andreas nomine *Distinctionis* pro *Separatione*, neque longiùs accersenda est huius crassissimi erroris refutatio.Humanitas enim dici non potest merè παθητικὸν instrumentum. Habet enim & suam voluntatem, & suam ἐνέργειαν & suum ἐνέργημα:Et ne corpus quidem humanum sic est animæ instrumentum,vt nõ dicatur etiam suo modo animæ συνεργεῖν. Quid amplius? Ipsa etiam inanimata instrumenta,& quæ nullo modo agunt, nisi extrinseca prorsus motione vel admotione, vt in illa igniti ferri similitudine,suam quandam distinctam habent actionem:quantò magis quum Diuinitas agit per Humanitatem, quantumuis sibi personaliter vnitam (externum enim, licet proprinquum, hoc instrumentum vocare, Nestoriani fuerit non Christiani hominis)vt duæ sunt numero naturæ & duæ voluntates, & quidem non tantùm numero distinctæ, sed etiam reipsa diuersissimæ, sic duæ sint numero distinctæ & reipsa diuersæ actiones necesse est. Hæ tamen quum in vnicam Filij Dei personam, ac proinde in vnicum, Diuina quidem Diuinè, Humana vero humanè, distinctè volentem & operantem, concurrunt: inde nascitur Actio θεανδρικὴ: non illa Eutychiana, sed Orthodoxa, quam pulchrè declarat Damascenus lib.3.Orthod.Fidei.cap.19. quam describentes patres dixerunt,proprietates quidem & energias esse naturarum non autem ὑποστάσεως aduersus Eutychien : neutram tamen naturam, propter personæ,aduersusNestorium,vnitatem,agere absque alterius societate, id est vt separatam ab altera. Hinc autem consequi nego, vniuersaliter verum esse quicquid agit ὁ λόγος, id agere per Humanitatem vt σύνεργον, quamuis ab illa nunquam separetur. Et vt hac de re semel agam,paucis repetam argumẽta quibus ista iam olim sunt & ab aliis doctissimis hominibus, & à me quoque iampridem refutata,Primùm igitur,si(vt nunc loquitur D.Andreas,ab illa Eutychiana effusione ad Monotheliticam communicationem proprietatum delapsus) verè definitur hypostatica Vnio ab isto effectu,nempe à reali proprietatum & actionum omnium Diuinitatis cum humana natura communicatione, id est eò quòd Diuinitas agat omnia in illa,& cum illa Humanitate,& per illam Humanitatem : illud absurdissimum & falsissimum necessariò consequetur,Diuinitatem in Christo fuisse Humanitatis ἐντελέχειαν per hypostaticam hanc Vnionem, ac proinde animam in Christo, non fuisse corporis illius organici ἐντελέχειαν, vel, quo nihil etiam absurd us dici potest,duplicem fuisse vnius Humanitatis ἐντελέχειαν

quod

quod non minùs abſurdum eſt, quàm ſi vnum & eundem hominem duplicis eſſentialis formæ virtute agere, id eſt, duos homines eſſe diceres. Quòd ſi, vt hunc ſcopulum effugiat D. Andreas, illas ἐντελέχειας velit eſſe ſubordinatas, tum ſanè duobus quoque conſtitutis ὑποστάσεσι diſſoluetur vnio, nec erit humanitas aliter agentis Diuinitatis inſtrumentum, quàm Angeli, & Sancti Homines, quorum vt inſtrumentorum miniſterio vtitur Dominus, & qui propterea intrinſecæ ſuæ formæ vi moueri & agere non deſinunt. Deinde & illud quæro, num per hãc hypoſtaticam vnionem, Filius in terris verſans, (cuius & voluntas & actio & operatio eadem & vnica ſemper fuit, eſt, & erit cum Patre & Spiritu Sancto, ſicut vnica eſt harum trium perſonarum eſſentia & natura) res omnes & ſingulas per hanc ſuam Humanitatem cognouerit, effecerit, adminiſtrarit in hac rerum omnium vniuerſitate. Hoc ſi fortè affirmarit D. Andreas, quis illum non videat quaternitatem introducere, aut, (quod etiam abſurdius fuerit) Deitatem quandam precariam & mutuatitiam, & tamen Eſſentialem, (agitur enim hìc de proprietatibus Diuinitatis eſſentialibus,) id eſt mõſtrum, monſtris omnibus monſtroſius inuehere? Nam alioqui à Chriſto nũc, ex quo omnem ἐξουσίαν adeptus eſt in cœlo & in terra, res omnes, ipſius etiam humanitatis imperio regi, ac proinde inenarrabili potentia & ſcientia præditam eſſe ipſius animam non inficiamur. Sed hoc nihil ad rem. Sunt enim illa quoque potentia & ſcientia & dominatio, dona creata, & à Deitate verbi, in illam ſuam carnem collatæ & effuſæ qualitates: hìc autem de proprietatibus illis agitur, quæ ſunt ipſa Dei eſſentia. Præterea quæro, num tunc omnia per illam ſuam Humanitatem rebus omnibus & omnibus locis eſſentia ſua præſentem Deitas adminiſtrarit. Omnino, reſpondebit D. Andreas, vt qui in hac diſputatione auſus ſit Chriſtum dicere, per Humanitatem quoque ſuam, idque non ex reuelatione, ſed diuina ipſa potentia ſua eſſentiali, fuiſſe reipſa καρδιογνώστην, & Nathanaëlem, quanuis abſentem, tamen per ſuam Humanitatem ſub ficu conſpexiſſe. Num verò tunc erat ſua quoque eſſentia Chriſti Humanitas ſub ficu? Quæ ſi vera ſunt, tota hiſtoria ſacra, loco motiuam Chriſto tribuens, & veram, variis locis, tum præſentiam, tum abſentiam ſecundum carnem, quid aliud fuerit quàm meræ præſtigiæ & Marcionitici delirij fundamentum? Quæro & illud, an ſuam iſtam realem, omnium Diuinitatis proprietatum communicationem D. Andreas, ad totam Humanitatem porrigi velit, & Diuinitatem, quicquid agit, per totam Humanitatem agere. Hoc

enim si veritati cedens negat, & valet illud ipsius argumentum separari Humanitatem à Deitate, nisi vbicunque est Deitas, statuatur etiam essentialiter adesse Humanitas, cõsequetur, separari per ipsum, aliquid Humanitatis à Deitate, illud videlicet Humanitatis quod sit illius communicationis expers: ac proinde, ridiculè ab ipso vnitionem hypostaticam ipsarum naturarum, per hanc realem proprietatum omnium cõmunicationem, definiri: quoniam sic, vnitio naturarum, (id est definitum,) latiùs quàm proprietatum communicatio (id est quàm definitio) patebit. Sin verò istum scopulum veritus, illud ausit affirmare, quid proficiet? Ruet enim ex Scylla in Charybdin, quia sic necessariò consequetur Christi quoque corpus, (non tãtùm animam) diuinæ essentialis Omnipotentiæ, Omniscientię particeps esse, cui tamen nemo est tam ineptus, qui intelligentiam & rationem tribuat. Imò erit etiam Christus suis quoque pedibus & bracchiis καρδιογνώστης. Recurret enim de corpore eadem quæstio, Si toti quoque corpori communicantur omnes Diuinitatis proprietates, (quòd alioqui totum corpus non videretur assumptũ, siue vnitum,) an de singulis quoque partibus corporis idem sit constituendum, quum præsertim Vbiquitarij soleant illam inter Totum Christum, & Totum Christi distinctionem pro cogitatione puerili habere. Insuper, si quicquid agit Diuinitas, agit per Humanitatem vt per instrumentum, omnes certè Diuinitatis actiones erunt compositæ, ex principaliter mouente, & instrumento vnitis, ac si dicam animum videre per oculum, audire per aures. At ista actio, composita esse non potest aliter quàm vnita. Sunt autem in Christo vnitæ duæ naturæ, distinctis manentibus vt naturis ipsis, sic etiam earum essentialibus, tum proprietatibus, tum actionibus. Actio igitur vnica composita in Christo statui non potest. Sed vt ex istis duabus vnitis naturis, vna consurgit hypostasis vtrique naturæ subsistentiam præbẽs, (quo respectu Damascenus Christum σύνθετον πρόσωπον appellat:) sic ex distinctis manentibus naturarum actionibus, tum duabus numero, tum & agendi ratione & effectu peculiari diuersissimis, vnicum hypostaseως ἀποτέλεσμα, non vnica actio nascitur. Quid amplius? etsi nunquam ὁ λόγος separatur ab Humanitate assumpta, quo sensu demum verè dicitur, & tamen ambiguè, nũquam agere absque Humanitate, pro quo Græci commodiùs & citra ambiguitatem dicũt δίχα τῆς ἀνθρωπινῆς φύσεως: tamen falsum est illud vniuersaliter dictum, *Agere Christi Diuinitatem omnia P E R Humanitatem.* Sunt enim excipienda, tum de quibus paulò ante diximus, actiones videlicet

delicet Trinitatis extrinsecæ inseparabiles, tum etiam non pauca quæ incarnatus peregit munere Mediatoris defungens, in quibus tamen Humanitatem, vt ὄργανον agens non adhibuit. Nec enim Verbum caro factum est per carnis agentis ὄργανον, sed vnica Altissimi virtute, quę est & ipsa tum Patris tum Filij virtus coëssẽtialis: nec virginis Substantia ad hoc mysterium adhibita est vt ὄργανον, sed vt materia. Animam verò Christi num formauit ὁ λόγος, siue ipsiusmet animæ siue corporis opera? Neque si ex intemerata virgine natus est, alia quàm cæteri homines ratione, istud per Humanitatem effecit. Nec per Humanitatem 40. dies & totidem noctes ieiunauit, sed per Humanitatem esuriit. Neque per Humanitatem vidit Nathanaëlem sub ficu: soli enim & vnicæ Deitati nihil est absens. Neque per Humanitatem cogitationes hominum nudas, id est nullo modo exteriore sese prodentes nouit, quod est vnius Deitatis tam proprium quàm est ipsamet Deitas, vt infinitis locis scriptura testatur: sed & ipse tum suæ Humanitati tum auditoribus per Humanitatem suam loquendo, & Prophetis per visiones quod ipsi libuit, quatenus & quãdo voluit patefecit. Nec per Humanitatem resumpsit depositam vitam, sed diuina sua virtute, ablatam Humanitati suæ restituit. Nec per Humanitatis suæ ὄργανον hodie, sed per Homines legitimè vocatos, Ecclesiæ suæ voluntatem Patris, prædicatione verbi & administratione Sacramẽtorum docet, illo suæ ipsius carnis ministerio semel dum in terris versaretur defunctus. Neque quum hæc distinguo, propterea carnem, vel carnis actiones separo, sed suum cuique vt hypostaticæ vnitionis natura & definitio iubet, attribuo: tum aduersum Nestorium duas, vt naturas, sic Essentiales proprietates, & voluntates & operationes, vnicum denique ὑποτέλεσμα, vni & singulari personæ tribuens, vt qui sit vnus in duabus naturis subsistens, vnus vtrisque essentialibus suarum naturarum proprietatibus præditus, vnus duabus & numero & natura diuersissimis, diuersa diuersè volens, diuina videlicet diuinè, humana verò humanè: Vnus etiam non minùs diuersis actionibus, nec minus diuersa efficiens: sed vt citra separationem aduersus Nestorium, sic seruata semper distinctione aduersus Eutychianam illam Brentianorum communicationem: ad commune ὑποτέλεσμα, tum in singularibus doctrinæ & miraculorũ operibus, tum in primis, in illo nostræ redemptionis opere omnem illam, tum naturarũ, tum essentialium proprietatum, tum voluntatum, tum actionum diuersitatem adducens, vt neque sine diuinitate Humanitas, neque siue Humanitate diuini-

tas, sit nostræ salutis mediatrix. Denique vt ad illam phrasin, *Cum Humanitate*, tandem veniam, quàm cautè sit illa quoque vsurpanda, discēdum est ex Cyrilli anathematismo octauo, & eiusdem defensione. Cæterùm quæ de ἐντελεχείᾳ diximus ad illam animæ & corporis similitudinem spectant, quam à Patribus acceptam mirum est citare istos posse, vt realis illius inter naturas ipsas Communicationis figmentum stabiliant: cui tamen euertendo, fuit à Patribus, vt & illa ferri candentis, adhibita. Sic enim duo probare voluerunt hypostaticæ vnitionis propria. Vnum, sic in illa conuenire vt vnum ὑφιστάμενον, id est Actu subsistens, inde vt ex componentibus partibus constituatur. Qua in re, quod sit inter duas illas naturas in Christi persona vnitas, & hominem quemuis ex anima & corpore tanquam partibus compositum discrimen, antea exposuimus. Alterum, in ista vnitione naturam vnam in alteram, neque substantia sua, quod aduersarij quoque nostri concedunt: neque essentialibus suis proprietatibus in alterā transire: quod posterius, apertè priùs perspicuo effusionis nomine vtentes, nunc verò appellatione ambigua Communicationis realis tegentes, affirmant. Sed quo tandem pudore? Quum enim (quod iam millies inculcare sum coactus) inseparabiles sint à suis naturis Essentiales ipsarum proprietates, quinam naturæ absque illis, vel aliter quàm istæ communicari potuerint? Et quum vna & eadem sit reciproca vnius naturæ cū altera, Deitatis videlicet & Humanitatis in Christo, & animæ & corporis in quouis homine vnitio: quinam περιχώρησις quoque Essentialium proprietatum vtrinque non fuerit eadem statuenda? Itidémque quum sicut Essentiales istæ proprietates à naturis suis separari, sic etiam à sese, nullo modo seiungi queant, quinam ab hac communicatione reciproca aliquas exceperis? At nostri aduersarij proprietatum Diuinitatatis (nec tamen sine quarundam exceptione,) realem cum Humanitate communicationem apertè vrgent. Humanitatis autem proprietatum cum Diuinitate communicationem, satis quidem antea audacter, nunc verò, à Kemnitio callidiores facti, ambiguis & incertis explicationibus inuoluunt. Sed quorsum istas tergiuersationes? Quid enim est hac regula ex modò positis fundamētis certiùs, *De quacunque re prædicari non potest Essentia, de illa quoque nequit prędicari Essētialis eius proprietas.* Itaq; quoniā de corpore dicinō potest, quòd sit anima, nec de anima: quòd sit corpus: hinc fit vt nec quę sunt animę propria, de corpore, nec quę corporis propria, de anima verè prædicētur. Et similiter, Quia diuina natura de Humana

dici.

dici non poteſt, de Humana quoq; natura prædicari Diuinæ proprietates: nec viciſſim Humanę de Diuina poſſunt. Nihil-ne igitur, inquiũt, in hac vnitione hypoſtatica vna natura alteri confert? Omnino plurima & maxima: & ad hũc ſcopulũ rurſus manifeſtè aduerſarii noſtri naufragiũ fidei Orthodoxæ faciũt, dum Eſſentiales proprietates cum ipſis earum effectis confundunt. Nam, vt modò diximus, tam ſunt in hac etiam vnitione incommunicabiles Eſſentiales proprietates, quàm ipſæ earum naturæ, quod præſertim in Deitate locum habet, cuius omnes Eſſentiales proprietates ſunt in ipſa vnum, & ipſa eius Eſſentia. Ridiculum eſt igitur illud vtrumq; noſtrorum aduerſariorum dogma, quo, poſtquam vnitionem hypoſtaticam omnium diuinitatis proprietatum cum Humanitate aſſumpta Communicatione definierunt, quaſdam tamen poſtea excipere coguntur: æternitatem videlicet, ſummam ſimplicitatem, infinitatem, & ſi quæ ſunt alia eiuſmodi, quibus agnoſcunt non ornatum ſed deſtructum iri Humanitatem. Quaſi verò quicquam ſit, quo apertiùs deſtrui poſſit Humanitas, quàm illa carnis quam conſtituunt Omnipræſentia. Deinde quòd (quæ vaniſſima eſt Chimęra) aliquid aliter Eſſentiale ineſſe, & propterea attribui humanitati volunt, quod tamen ipſi non inſit vt in ſubiecto. Res autem ita ſe habet. Anima, licet tota corpori vnita Eſſentialiter, ſuam tamen illam vim qua in ſeſe viuit, vt neque illa ſua propria, Subſtantiam videlicet incorpoream, inuiſibilem, immortalẽ, nec actiones illas animæ proprias, puta, intelligere, ratiocinari & ſimilia, corpori quantumlibet vnito minimè communicat: vtpote quòd non ſit earum rerum capax: ſed in illo ſuo corpore vitã, ſenſum, motum, effecta videlicet creata, inſinuat, quamdiu in illo perſtat. Et quod dicitur, Nihil eſſe in intellectu, quod priùs non fuerit in Phantaſia, dextrè intelligendũ eſt: de iis videlicet quę ſub ſenſus cadunt. Num enim intellectus κοιναὶς ἔννοίας, ſiue quæ ad θεωρίαν, ſiue quæ ad praxin referuntur: num ſpecies, quas abſtrahit, num vim illam qua res phantaſiæ à ſenſibus externis inſculptas, & à phantaſia ad ſe delatas, intelligit & diiudicat, à phantaſia mutuatur? Quod ſi etiam à phantaſia vim illam reciperet intellectus, quum tamen phantaſia non ſit corporis, ſed animi facultas, & imagines rerum, non vlla corporis, paſſiui potiùs, quàm agentis, organi uirtute, ſed ſua ipſius vi admittat, & in ſeſe informet, minimè certè propterea ſimpliciter, aut ἀμέσως dici poteſt anima quicquid per phantaſiam agit agere per corpus. Sic etiam in hypoſtatica duarum Chriſti naturarum vnitione, Diuinitas, quæ in illa dominatur, non tantùm

propter ſuam dignitatem, ſicut in altera ſpecie vnitionis, anima corpori præſtat, ſed in primis quia ſuam ipſius hypoſtaſin aſſumptæ non perſonæ, ſed naturæ tribuit, non magis Seſe vel ſuas proprietates, (quæ ſunt ipſamet eius eſſentia,) Humanitati vnitæ communicat, quàm Humanitas Diuinitati, vt antea oſtendimus. Sed inenarrabilibus quidem, & ipſum Angelorum captum ſuperantibus donis aſſumptam illam ſuam Humanitatem, poſt peractum imprimis illud redemptionis noſtræ myſterium, ſed tamen ſubiectiuè & creatis ac finitis omnibus, in æternùm illuſtrauit. Immo in ipſo etiam huius mortalis vitæ curriculo, tum animam tum corpus ſuum, vt nobiliſſima inſtrumenta in operibus longè maximis, (cuiuſmodi ſunt miracula, & illa quoque tum animæ tum corporis παθήματα, quibus pro peccatis noſtris ſatisfecit, prout ipſi viſum eſt,) adhibuit. Denique etiam hodie, non niſi carnis ipſius nobiſcum Spiritualiter per fidem, tum in ſimplici verbo, tum in Sacramentorum adminiſtratione communicatæ interuentu, nos efficaciter vocat, iuſtificat, ſanctificat, & ſuo tandem tempore in æternum glorificabit. Quoniam autē, Anima, & Corpus, vnum certum compoſitum conſtituunt, (quod eſt alterum hypoſtaticæ vnionis præſtantiſſimum effectum) idcirco quæ de vtraque ſubſtantia illa dicuntur, etiam de toto compoſito id eſt de homine ὅλως conſiderato propriè dicuntur: nempe, incorporeum & corporeum: viſibile & inuiſible: ſimplex & compoſitum: immortale & mortale eſſe: & cætera eiuſmodi: non tamen eodem modo, quia contradictionem implicarent: ſed de Subſtantiis ipſis ſimpliciter, de homine verò κατὰ τὸ: quia homo nec ſimpliciter eſt anima, nec ſimpliciter corpus, ſed corpus & anima: vnde fit vt de toto quidem homine verè, at non ſecundum ſui totum iſta prædicentur. Sic etiam in Chriſto, quamuis in eo duæ naturæ non vt partes propriè componentes ſed καθ' ὑπόστασιν diuinam præexiſtentem (τῷ λόγῳ videlicet) vniantur, eadem quoque ratio tenenda eſt, propter communem hypoſtaticæ vnitionis definitionem. Chriſtum igitur totum rectè & propriè Deum & Hominem, creatum & creatorem, infinitum & finitum, viſibilem & inuiſibilem, olim quoque mortalem & immortalem, & nunc diuerſa ratione immortalem, Omnipræſentem & certo corporis ſpatio circumſcriptum, ac proinde præſentem & abſentem verè & propriè dicimus: ſed duplici modo: quoniam alioqui contradictionem implicarent. De toto igitur Chriſto, id eſt ὅλως conſiderato, at non ſimpliciter, nec ſecūdum ipſius totū: de naturis autē ipſis illa ſimpliciter

ter dicũtur: ea tamen ſeruata, de qua diximus, inter animæ & corporis proprietates diſtinctione, quia Chriſtus nec tantùm Deus eſt, nec tantùm Homo, ſed Deus & Homo. Præterea (quod tertium eſt hypoſtaticæ vnionis effectum) quædam ſingularia de toto, vt vno ſuppoſito dicuntur, quæ tamen ipſius Toti non conueniunt, vt quum Homo dicitur intelligens, mortalis, viſibilis, quorum illud eſt animæ proprium, iſta verò corporis. Sic igitur etiam Chriſtum, quæ eſt totius perſonæ appellatio, paſſum, mortuum, ſepultum, in ſanctis habitare, nobiſcum eſſe & futurum ad conſumationem vſque ſeculi dicimus: quorum illa ſecundùm carnem, iſta ſecundùm ſpiritum & diuinitatem, intelligenda omnes Orthodoxi confitentur. Poſtremò (quod in vnico Chriſto locum habet, in quo vno videlicet duæ perfectę naturæ vnitæ ſunt per ἀντίδοσιν, quod eſt quartum hypoſtaticæ vnitionis in Chriſto effectum) non tantùm tota perſona deſignatur, concreta alterutrius naturæ, putà Dei vel Hominis appellatione, verùm etiam diuerſæ naturæ prædicata illis adiunguntur: quod etiam citra vllam vllius proprietatis exceptionem verum eſt, contra quàm aduerſarij noſtri opinantur: vt quum de Chriſto loquentes dicimus Deum eſſe paſſum, mortuum, crucifixum, ſepultum, qui tertia die reſurrexerit, aſcenderit in cœlum & inde ſit venturus viſibilis, & quicquid eſt eiuſmodi, Deitati quidē nullo modo conueniens, de Deo tamen veriſſimum, ſed κατά τι, id eſt in carne, vt loquitur Petrus. Sic & pari quoque ratione, id eſt, quia vna & eadem eſt Deitatis cum Humanitate & Humanitatis cum Deitate vnitio, Hominem illum, (non autem Humanitatem cum Eutyche) verè & propriè vt Deum, ſic æternũ, creatorem, infinitum, Omnipotentem, Omnipræſentem, denique quicquid Deus eſt, Eſſe verè dicimus: nempe quia hic Homo in Filio Dei ſubſiſtit. Quum igitur iſta concedere nollet Neſtorius, manifeſtè prodebat blaſphemos duos errores, quamuis προσωπικὴν vnionē callidè agnoſceret. Vnum, quòd Abſtracta non diſcerneret à Concretis: ideóque tam Deum eſſe paſſum quàm Diuinitatem paſſam negaret. Alterum qui etiam ex priore errore conſequebatur, quòd in Chriſto, non tantùm Ἄλλο καὶ Ἄλλο, ſed etiam Ἄλλον καὶ Ἄλλον manifeſtè ponens, vt qui Deo quæ Hominis illius erant tribui nollet, perſonam Chriſti reipſa diuideret.

Theſ. XI. Vvirtemb.

Itaque (propter vnionem perſonalem & proprietatum communicatio-

nem) credimus, Christum etiam secundum humanitatem suam esse omnipotentem, seu (quod idem est) humanam in Christo naturam esse omnipotentem. Scriptura enim sacra, Christo etiam quatenus homini, omnem potestatem (quæ nihil aliud est, quàm omnipotentia) tribuit. Omnia (inquit Psaltes) subiecisti sub pedibus eius, Psalm. 8 Et Paulus hunc Dauidis locum explicans, inde probat: quòd Christo OMNIA *sint subiecta præter eum, qui subiecit ei omnia, 1. Corinth. 15. Ioannes Euangelista inquit: Sciebat Iesus, quod* OMNIA *dedisset ei pater in manus, Ioan. 13. Et Christus ipse (etiam ante passionem suam) dicit: omnia mihi tradita sunt à patre meo, Matth. 11. Et post resurrectionem inquit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. Huc referenda sunt etiam miracula Christi, vt indubitata eius omnipotentiæ testimonia: Quòd tactu mundauit leprosos, visum cæcis restituit, quòd voce sua Lazarum in vitam reuocauit: quippe quæ miracula Christus non aliena virtute, (vt Prophetæ & Apostoli) sed propria potestate edidit.*

Antithes. XI. Th. Bezæ.

Hæc omnis potestas, vt ex omnibus testimoniis, quæ hîc citatis, constat, diuersa prorsus est ab ea, quæ est in Deo essentialis, & absolutè consideratur. Nihil enim aliud est, [1] quàm summa secundùm Deum potestas, in rebus omnibus creatis administrãdis, ad quas etiam ipsa refertur: [2] ac proinde inter dona in carnem Christi collata, id est, ad gratiam habitualem referenda est, quam tamen Thes. 4. ab hac vestra communicatione excluditis. Et quod ad miracula à Christo edita pertinet, sequimur Orthodoxæ veteris Ecclesiæ vniuersalẽ consensum, ex analogia fidei depromptum, quo cõfossi sunt Nestoriani, Eutychiani & Monotehlitæ: ex quibus patribus satis sit ista descripsisse. Ex Tertulliano aduersus Praxeam, videmus duplicem statum non confusum, sed coniunctum in vna persona, Deũ & hominẽ Iesum: & adeò salua est vtriusque substãtiæ proprietas: vt & spiritus, id est, [3] Diuinitas res suas egerit in illo, id est, virtutes, opera, signa: & caro passiones suas functa sit, esuriẽs sub Diabolo, & sitiens sub Samaritide.

1. Hæc non modò sine omni Scripturæ sacræ testimonio, sed contra eam dicuntur. Ideo falsa.

2. Potentia Christo homini collata, nunquam inter creata dona numeranda, consensus sacræ Scripturæ & Patrum apertus est.

3. Orthodoxi Patres his dictis ostendere voluerunt, cuius naturæ propriæ sint actiones, vel passiones in Christo: sed sine communicatione & & distincte eas executas esse, nunquam somniarunt. Sic accipienda esse dicta Tertulliani, Cyrilli, ipsi optimi suorum verborum interpretes, docent.

Ex

Ex Cyrill.lib. de Trinit. 5. Quæ diuino modo facta ſunt à Chriſto, non ſunt humanæ κλίσεως attribuenda, ſed naturæ ineffabili, & omnē mentem tranſcendenti. Ex Nyſſeno contra Eunomium: Neque humana natura Lazarum viuificat, nec deflet iacentem impaſſibilis potētia: ſed lachryma quidem hominis eſt propria, vitæ autem ea, quæ veræ vitæ ſunt.

Ex Damaſceno lib. 3. de Orthodoxa fide, cap. 15. Neque humana natura Lazarum à mortuis excitauit, nec rurſus diuina potentia lachrymatur. Nā lachrymæ quidē ſunt quiddam humanitatis proprium: vita verò eius, qui eſt ipſa in Seſe ſubſiſtens vita.

4. Nyſſenus non tam ſuis, quàm Tertulliani & Cyrilli verborū interpres eſt, quòd de naturarum proprietate, nō de communicatione loquatur: quæ non pugnant. Quod Damaſcenus quoque apertè confirmat. Etſi enim non proprium eſt humanæ naturæ excitare Lazarum: diuina tamen potentia, ſine humana natura Lazarum non excitauit. Sicut non purus homo, ſed Deus fleuit, quamuis Dei proprium non eſt flere

Reſponſio ad annotat. ad marginem.

1. & 2.

Nemo Chriſtianus ignorat hunc Hominem, quatenus Deus eſt per gratiam vnionis, habendum eſſe Omnipotentem vt æternum, quum vera ſit Verbi Deitas in quo ſubſiſtit. Nemo etiam negat hāc Verbi Omnipotentiam quadantenus ſub velo carnis ad tempus delituiſſe, & quodammodo quod ad manifeſtationem attinet, videri poſſe ipſi πρόσλογῳ ratione quoque ſuæ Deitatis tunc fuiſſe reſtitutam, quum in hac quoque carne Chriſtus, peractis ipſius infirmitatis diebus, ſupra omne nomen eucheretur. Sed hîc non agi de æterna illa filij Dei Omnipotentia, verùm de imperio in res omnes creatas in ipſam carnem victricem & triumphatricem attributo, apparet ex Græcæ vocis ἐξουσίας ſignificatione: itē ex Cœli & Terræ nominibus: item ex aliorum locorum collatione, ex quibus locus ille Matthæi eſt explicandus, vt Pſal. 2. 8. Daniel. 7. 14. Iohan. 5. 22. & 24. vbi nomen κρίσεως quo ſignificatur adminiſtratio ſiue gubernatio hanc ἐξουσίαν explicat. Item 1. Corinth. 15. 27. vbi expreſſis verbis, (non vt Chriſtus diuidatur, ſed vt humana à Diuinis in vna & eadem Mediatoris perſona diſtinguantur) Apoſtolus hoc æternum quidem, id eſt ſine carens, ſed tamen creatum, & humanitati ſubiectiuè attributum imperium, ab eius Omnipotentia diſtinguit. Qui ſubiecit huic, quatenus hominis Filius eſt, omnia, vt iudici ad viuos & mortuos in hac ipſa carne iudicandos adfuturo. Denique quoniam D. Andreas ad conſenſum quoque patrum audet prouocare, hos ipſos illi iudices fero.

3.4. Fruſtra ſtudet D. Andreas clariſſimæ luci vmbras inferre vt æquos omnes lectores iudicaturos minimè dubito. Sed age, ſedeat hîc ipſemet in ſua cauſa iudex, modò, (quod ſæpe facit,) à ſe ipſo non diſſentiat. Etenim, ſi naturarum propriæ manent proprietates eſſentiales, manent etiam propriæ actiones, quod ſanè rectè dicit. Vnde tandem igitur illa earundem inter ſe communitas? Nihil enim eſt idem manens primo actu ſemel Proprium & Commune. Non igitur excitauit Lazarum humana natura, nec fleuit Diuinitas. Sûnt enim hæc omnia merè Eutychiana. Excitauit tamen Lazarum & fleuit qui vnus eſt Deus & Homo: ſed agens diuina quatenus Deus, humana quatenus homo.

Theſ. XII. Vvirt.

Chriſtum, etiam ſecundum humanam naturam (iam in ſtatu gloriæ & maieſtatis) omnia quæ fuerunt, quæ ſunt, & quæ futura ſunt, perfectiſſimè, ſcire & nouiſſe, credimus. Ioannes enim Baptiſta teſtatur: Chriſto ſpiritum non ad menſuram, vt aliis hominibus, ſed ita datum, vt nos de ipſius plenitudine accipiamus, Ioan. 3. Et Chriſtus in ſtatu exinanitionis videbat Phariſeorum COGITATIONES. *Et Paulus de Chriſto loquens dicit: In quo ſunt* OMNES THESAVRI *ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, Coloſ. 2. Et neceſſe eſt Chriſtum* OMNIA *ſcire: cùm ſit futurus Iudex viuorum & mortuorum, Ioan. 5. Quòd enim diem iudicij ante paſſionem ſuam ignorabat, non ſimpliciter ad humanitatem eius, ſed ad formam ſerui, quam depoſuit, referendum eſt.*

Antitheſ. XII. Th. Bezæ.

Quæcunque fuit tempore humilitatis, & nunc eſt in gloria, [1]ſcientia Chriſti quatenus homo eſt, donum fuit & eſt creatum, & ſubiectiuè Chriſti animæ inſitum, ac proinde ad illam, quam ponitis, communicationem, nihil pertinet. [2]Formam autem ſerui, id eſt, humanitatem, abſit, vt Chriſtum depoſuiſſe, aut vnquam depoſiturum eſſe doceamus, vtpote quam ab humilitate ad illam eminentem, ſupra ipſorum etiam angelorum gloriam, tranſtulit, ſupra omnes cœlos collocatam.

1. Hæc contra Scripturæ aperta teſtimonia dicuntur: In ipſo abſconditi ſunt omnes theſauri ſcientiæ & cognitionis, Col. 2.

2. Forma ſerui non eſt humanitas, ſed ſeruilis conditio hominis Chriſti. Qui eſt Dominus, Ioan. 13. Vos appellatis me Dominum & rectè facitis, ſum enim.

Reſpon-

Responsio ad marginales refutationes.

Habitat sanè in Christo plenitudo omnis Deitatis, & quidem σωματικῶς, id est ἐσιωδῶς, quum sit verus Deus: sed eius οὐσίας respectu, qua Patri est ὁμοούσιος, & quum sit ipsa Patris sapientia, quis dubitat omnem thesaurum sapientiæ & intelligentiæ verè in ipso esse reconditum? Deinde, quum hæc sapientia tam arctè sibi carnem illam adiunxerit, vt illi suammet ipsius subsistentiam tribuerit, sit sanè Homo ille, quatenus Deus est, æterna Omnisapientiâ Omnisapiens: at non quatenus Homo humanitate præditus. Animam autem Christi, si non agnoscit D. Andreas, scientiæ & intelligentiæ omnis humanæ luce creata fuisse abundantissimè illustratam, vt qui pag. 312. disertè neget, Scientiam hominis Christi creatum donum esse: vel manifestus fuerit Arrianus & Apollinarista, Diuinitatem existimans huic carni fuisse mētis loco, vel minus posteriori Adamo quam priori tribuerit, ad imaginem Dei conditio, cuius præcipua dos fuit, vera illa sapientia. Denique si verum est, quod in ipsa disputatione sæpe inculcauit D. Andreas, nempe Spiritus appellatione, à quo Christus vnctus dicitur, nullum creatum donum, sed ipsam Deitatem verbi intelligi, quorsum Psal. 45. 8. *Præ consortibus tuis?* Nullos enim hic habet nisi in ipsa carne, non autem in eius vnctione consortes, sed vt vnigenitus est, ita solus θεάνθρωπος. Ergo de creatis, & in Christi carnem, quatenus primogenitus est inter multos fratres, subiectiuè infusis donis maximè hæc comparatio est intelligenda, non exclusa tamen Deitate, quū in priore eiusdē versiculi parte *Elohim* expressè vocetur: & sic quoque Spiritus appellatio pro donis etiam creatis, Ioh. 3.34. accipitur: quorum plenitudo, non certè diuersæ speciei ex capite, quod sine mensura illum Spiritum accepit, in subiecta membra, pro ea qua Spiritui Sancto libuit mensura, exundat 1. Corinth. 12.11. & Ephes. 4.16. Sed huic sententiæ opponit in disputatione D. Andreas, hunc quem penè vnicum ex ipso syllogismum fortuitò in tota hac disputatione audiui. Quicquid mensura caret, immensum & infinitum est. Spiritus quem Christus accepit secundùm hominem sine mensura datus est, Ergo infinita est & nō mensurata eius scientia. Hîc ego verò prouoco ad omnes Logicos, an respondeat conclusio assumptioni. Sed hoc facilè homini minimè logico condono: neque repugno quin appellatione Spiritus in primis intelligatur Dei & rerum diuinarum abundantissima scientia, quanta ne Angelis quidē obtigit, aut obtinget vnquā. Ad propositionē autē in primis respōdeo, id quod ad mensurā accipitur, non tantùm 1.

opponi infinito ſed etiam ei quod imperfectum eſt, & ad plenam & finitam, quam habet mẽſuram, non prorſus accedit: quo poſteriore ſenſu aſſumptionem nego. Et vt citra ſyllogiſmos, quorum hoſtis eſt D. Andreas, reſpondeam, nego Iohannem dicere datum humanæ Chriſti naturæ (hoc enim ita intelligit ipſe D. Andreas) Spiritum qui ſit ſine menſura, id eſt eſſentialem illum Deum infinitum, ſed hunc ſine mẽſura datum Spiritum, qui ſit ipſi datus. Spiritus ergo qui dat, tertia eſt illa Trinitatis perſona, ex cuius etiam virtute Chriſtus in vtero Virginis conceptus dicitur: & is ipſe qui ſupra Chriſti caput in ſpecie Columbæ apparuit quum à Iohanne baptizaretur, coëſſentialis videlicet illa & ἐνυπόςατος tum Patris tum Filij virtus. Spiritus autem qui datur, non ipſam Sancti Spiritus Eſſentiam, ſed operationes & dona ipſius declarat, & Chriſto quidem vt Homini, ſiue ſecundum carnem, datus dicitur à Patre videlicet, & à ſeipſo ſine menſura, id eſt, ita vt dona quæ data ſunt & à Spiritu ſancto effecta in hac humanitate, ſint tota, plena, & integra in Chriſti humanitatem collata, tum quod nullum ſit doni genus, quo Spiritus ſanctus ſanctos exornat, cuius fuerit expers Chriſti Humanitas: tum quòd iis ipſis donis nihil defuerit: quantumuis chariſmata illa omnia, ſiue ſimul, ſiue ſigillatim conſiderata, finita neceſſariò fuerint, vtpote in naturam finitam ſubiectiuè collata. Nam è cõtrario ſanctiſſimis etiam hominibus, tot demum dona Spiritus Sanctus, ex ipſo Chriſto, locupletiſſimo videlicet penu, deprompta, ſicut teſtatur Chriſtus Iohan. 16. 15. largitur, quot & qua menſura ipſi libuit, vt pleniſſimè declarat Apoſtolus 1. Cor. 12, 11. & Epheſ. 4. 11. Nec alius nobis huius loci melior quærendus eſt interpres quàm Eſaias cap. 11. 2. Sed & Chryſoſtom. in hunc locum rectè admonet, Spiritus appellationem intelligẽdam eſſe de ipſius energia. Quæ verò in illum locum copiosè Cyrillus aduerſus Arrianos ſcribit, contra hanc interpretationem nihil faciunt. Dicuntur enim in eos qui θύραθεν, ſicut in Sanctos, ita etiam in Chriſtũ collata hæc dona ſentiebant: quum è contrario ipſe ſibi Chriſtus ſua Deitate, (cuius vt & Patris virtus eſſentialis & ἐνυπόςατος eſt ipſe Spiritus Sanctus) in illam aſſumptam humanitatem prout & quando ipſi libuit effuderit: quamuis Iohannes, vt & ipſe plerunque Chriſtus ad patris perſonam audientium animos reuocet, tanquam ad ipſum Deitatis principium ac fontem: non tamen vt ſeſe, vel à Patre, vel à Spiritu ſancto ſeparet, vel quæ Patri aut Spiritui ſancto tribuit, ſibi deroget, quum ſit vnus & idem cum illis Deus. Quorſum autem iſta, ad Eutychianam illam eſſentialium proprietatum

tatum inter ipſas naturas communicationem attinent? Verùm quid huic homini facias, qui apertè & diſertis verbis pag.299. *Potentiam quoque humanæ Chriſti naturæ datam, creatum donum eſſe, vel creatam qualitatem inficiatur?* qua in re, (vt videamus etiam quàm bellè inter horum dogmatum auctores cõueniat) audiat Chriſtianus lector, quid de potentia Dei in Petro & Chriſto operante D. Brentius cenſuerit pag. Recognit. ipſius 40. & 41. *Chriſtus edidit multa miracula, edidit & Petrus: vidit Chriſtus futura: vidit & Petrus. Chriſtus mortuus & ſepultus reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlum: Petrus quoque reſurget à mortuis, & aſcendet in cœlum, & quidem cum corpore ſuo in puluerem redactus, vt illud in Petro penè mirabilius, quàm hoc in Chriſto videatur.* Dicis, *Chriſtus reſurrexit à mortuis ſua ipſius virtute, Petrus autem aliena: Imò, ſicut Chriſtus excitatus eſt, diuina virtute, ita etiã reſurget Petrus diuina virtute, nec minùs ipſi quàm Chriſto intimè præſente: quòd vbi ſit Diuinitas, ibi ſit tota. Quare ne hac quidem ratione dici poteſt quòd Chriſtus, non autem Petrus ſit Deus.* Et tandem concludat, *diſcrimen Chriſti & Petri in eo ſtatuendum eſſe,* (ſiue vt magis etiam expreſsè ſcribit D. Andreas, *hoc vnicum eſſe diſcrimen, inter Chriſtum & Petrum, in inhabitatione Filij Dei) quòd Filius Dei, etſi ſua eſſentia implet Petrum ſicut & Hominem Chriſtum, non tamen communicat Petro OMNES ſuas proprietates, ſed tantùm NONNVLLAS.* Iſta verò quis tãdem cum iis conciliabit quæ nunc ſcribit D. Andreas, nempe, nullam ſcientiam, nullam potentiam Humanæ Chriſti naturæ datam, poſſe ex ſacris literis probari, creatas eſſe qualitates ſiue creata dona? Sed obiiciet aliquis, contrarium iſtis ſcribit Andreas huius diſputationis pag.197. his videlicet verbis, *Diſcrimen vnionis diuinitatis cum Petro & cum homine aſſumpto conſpicitur ex eo, quòd Homo Chriſtus propria, Petrus autem aliena virtute, & mortuos ſuſcitauit & miracula edidit.* Quis hîc verò non credat D. Andream, etſi magiſtro ſuo gratificatus conetur lectori perſuadere, non aliam vnquam fuiſſe quàm Orthodoxam veterem illius & ſuam ſententiam, tamen ſatis apertè dogma illud, planè impium, retractaſſe? Et ita ſanè facere ac palàm iſtud profiteri debuit. Sed iam pridem ex nimiùm multorum reformatæ Theologiæ tabulis expunctum eſt illud, vere gloriam Dei quærentibus non inſuetum, *Peccaui.* Quid ſibi vult igitur in ſumma D. Andreas, quum propria quidem virtute Chriſtum, Petrum autem aliena, fatetur (quod Brentius negarat) miracula edidiſſe? Nequaquam certè, (quod tamen facere oportuit) ad ipſam naturarum vnitionem iſtud refert, quia nimirum Petrus non eſt vnum ὑφιστάμενον cum

Filio Dei,& ideo est homo purus,non Deus:Homo verò Christus, (etsi verus homo est,)non est tamen individuum humanæ speciei: quia sic Christus in duas personas diuideretur: sed in Filij Dei subsistentia suppositatur:quod Nestorius aut nunquam intellexit,aut intelligere nunquam voluit, iusto Dei iudicio excæcatus. Sed D. Andreæ, propria virtute dicitur Christi quidem humanitas agere, quoniam hanc virtutem sibi ipsi habet realiter, quamuis non subiectiuè in verbo communicatam,Petrus verò aliena,quoniam eam precibus à Christo mutuari cogitur. Hinc illa vnitionis hypostaticæ naturarum Nestoriana, per Eutychianam naturarum realem communicationem definitio: & huius definitionis per naturarum falsam,& impiam illam exæquationem declaratio.

2. Nescio an vllus sit locus in epistolis Pauli, quem magis vrserint Patres omnes, tum Græci tum Latini, aduersus omnes hæreses, quibus Persona Christi fuit oppugnata:nec,(vno excepto Erasmo & iis qui nunc aberrantem ipsum secuti, aliò hunc locum detorquent,)existimo vllum scriptorem recentiorem extare,qui non sit veterum Patrum interpretationem sine controuersia amplexus. Et tamen,si D.Brentio & eius sectatoribus credimus, nequaquam ibi de duabus formis, id est naturis, diuina videlicet in persona Filij,naturam humanam καθ' ὑπόστασιν ascisscente,agitur:sed de vnica Humanitate,cuius duæ formæ ad tempus extiterint : vna videlicet dominatrix,per quam à momento suæ in Deum assumptionis, (vt isti loqui solent)omnes essentiales Diuinitatis proprietates fuerint ipsi reipsa communicatæ,tanquam hypostaticæ illius vnionis effectum : altera seruilis,omnes illas carnis infirmitates complectens vsque ad Crucis mortem, cuius respectu dicetur hæc Humanitas sese exinaniuisse,quatenus & quandiu Omnimaiestatē illam suam, diebus illis carnis suæ,non exeruit.Et fateor quidem ego cum Orthodoxis omnibus illis interpretibus, quod & ipse Apostoli scopus indicat,neque Formæ Dei nomine nudam Filij Deitatem,siue potiùs Personam,neque Formæ hominis appellatione,nudā quam assumpsit Humanitatem intelligi, sed illam quidem, vt inenarrabili gloria ornatam, istam verò vt cum vilissima abiectione cōiunctam.Hinc autem fit,vt duplex sit argumenti à Paulo, tum ad domandam omnem arrogantiam, tum ad commendandam nobis Christianam ταπεινοφροσύνην propositi fundamentum : & quidem ita connexum,vt stare posterius nisi substrato posteriore, nō possit : nempe quod Christus, ad cuius exemplum conformari nos oportet,sustinuerit quū Deus esset,fieri Homo. Et quis Deus? Verus

&

& ſummo illi Patri ſuo æqualis. Et quis Homo? Eouſque abiectus, vt etiam in cruce factus ſit pro nobis κατάρα. Quam obedientiam ſecuta eſt ſumma exaltatio: reſtituta quidem Deitati Filij gloria, (quam etſi nunquam reipſa amiſerat, tamen ad tempus videri poterat quodammodo intermiſiſſe:) Humanitate verò imperium ſupra res omnes adepta. Itaque in forma Dei eſſe, nihil aliud eſt, quàm talē eſſe, qualis Deus eſt, id eſt idipſum quod Deus eſt. Et quum is, de quo hîc agitur, æqualis, non rapina fieri ſtuduiſſe, (quod ambit Satan, & quod ſibi ſupra ipſum Deum arrogat Antichriſtus,) ſed extitiſſe dicatur, ac proinde ipſius naturæ iure, ſic iugulatur Sabellius, quum inter duas minimùm perſonas ſtatuenda ſit æqualitas. Sic damnatur Samoſatenus, quoniam æqualis Deo non eſt, qui non eſt niſi cogitatione, ſiue deſtinatione. Sic quoque coarguitur Arrius, quia Deo æqualis non eſt, qui principium temporis habet, & eſt Deus ἑμωνύμως. Sic refutatur quoque Neſtorius, quum non dicatur iſte alterum quempiam, ſed alteram μορφὴν accepiſſe. Et Eutyches, quum neque priore forma ſeſe ſpoliaſſe, dicatur, neque illam cum altera commutaſſe. Denique ſic Marcion & Δοκῆται omnes refelluntur, nomine τῆς μορφῆς abutentes, quoniam ſi vera eſt æqualitas, vera ſunt etiam & verè ſubſiſtentia quæ inter ſe comparantur, & commentitia fuerit obedientia, cuius imaginarium duntaxat fuerit ſubiectum. Hæc illa eſt igitur vera & pretioſa huius loci explicatio, ab omnibus Græcis & Latinis Patribus ſummo perpetuóque conſenſu ex puro puto Dei verbo tradita. Denique ſi vult, vt in cæteris, ſic etiam in huius loci explicatione D. Andreas D. Luthero aſſentiri, ecce ipſius verba, iam antę vndecim annos à me aduerſum Nicolaum illum Selneccerum prolata. *Ipſe profectò, errauí*, inquit, *ſæpe naturæ tribuens, quod competit perſonæ, & contrà: vt in illo loco Pauli Philip. 2. poſſit alicui vſu venire vbi dicit, tametſi in Forma Dei eſſet &c. Quid enim in Forma Dei fuiſſe prædicatur, certè Diuinitatem indicat, vt & quod ſe exinaniuiſſe dicitur. Porrò exinanitio & ſerui forma quid aliud quàm humanitatem teſtantur?* Ergo & à Luthero ipſo iamdeficiant oportet Brentiani, quorum tamen, age, ſententiam expendamus. Illis forma Dei, non Deitatem ipſam Filij, à quo caro noſtra aſſumpta eſt καθ' ὑπόστασιν, ſed realem illam omnium Eſſentialium Diuinitatis proprietatum, quam immaginantur communicationē declarat: quæ ſit vnitionis naturarum effectum, in ipſa tamen Humanitate minimè inhærens. Hoc autem commento, vt ſæpe iam inculcauimus, & vnitio naturarum hypoſtatica, quæ neceſſariò

vnica & eadem est,in duo diuersa discerpitur:& ipsius definitio euertitur: & Abstracta cum Concretis confunduntur. Vide verò Christiane lector, quàm multis rationibus ex ipso Pauli contextu ista interpretatio falsissima refellatur. Primùm enim,de quonam hic agitur?Certè de Iesu Christi persona. Ad hanc igitur referenda est tota hæc Apostoli sententia,non ad alterã duntaxat eius naturã, ne Diuinitatẽ quidẽ, nedũ Humanitatẽ, quæ certè nõ est Christus Totus,sed aliquid tantùm Christi. Et ne fortè nobis hic obiiciant, Christo interdum tribui quæ alteri duntaxat ipsius naturæ conueniant : respondeo saltem patere de toto Christo & quidem distinctè hìc agi,ex eo quòd vt mortem crucis, quæ propria est Humanitatis, sic etiam istius cum Deo, Patre videlicet, æqualitatem commemoret Apostolus, quam,sicuti mox dicemus, Humanitati Christi tribuere quantúmuis supra res creatas omnes tandem euectæ, sine blasphemia nemo possit. Deinde quum nolint aduersarij, a Kemnitio tandem versutiores effecti, suam illam formam Dei in Humanitate,vt subiecto,inhærere, vbi tandẽ ab ipsis collocabitur? Certè vel nusquã (& ita hæc forma in nihilum euanesceat) vel in ipsa Filij Deitate, in qua quum verè nihil insit formaliter, cogentur isti nobiscum fateri, quod tamen negant : nempe, per formam Dei,ipsam τῦ λόγυ personam intelligi, à cuius cum natura nostra vnitione,quum ipsímet suam illam communicationem deriuent, quî fit,vt ad illam vsque,in huius loci explicatione non assurgant? Et quum in hac vnitione ne ipsi quidem dicere ausint, opinor,Humanitatem euasisse Deitatem,siue Essentialiter, (quod fuerit Quaternitatem introducere) siue Personaliter, (quod manifestè fuerit Eutychianum,quum nihil dici possit absurdius quàm partem compositi euadere ipsum compositum) quis non videt quibus sese laqueis hac sua interpretatione inuoluant? Præterea, quid fiet Apostoli verbo, ὑπάρχων. Nam illud certè Humanitati tribui eius respectu non potest,quæ vel per se actu non subsistat, vel ipsi re ipsa non insit. At Humanitas Christi nec per se quidem subsistit, nedum vt illi, quod etiam per se maximè ridiculum est, duæ hypostases tribuantur. Quòd si qualitas est hæc Dei forma, nempe inerit humanitati:& si homo iste propter hanc qualitatem Deus esse statuitur, Deus erit accidentalis. Sed quæ hæc est inter Theologos præsertim rixandi libido? Quis ita ridicule loquatur vt abstractas voces, (cuiusmodi est Humanitas) ὑπάρχειν dicat in forma,quum ipsæ potius formæ conceptu mentis à suis individuis abstractæ sic declarentur? Sin verò non Humanitatem sed Ho-

Hominem isti velint ab Apostolo, illa quam confingunt forma Dei fuisse præditum, & postea seruilem formam accepisse, agedum, istud prioris siue antegressi temporis interuallum nobis definiant. Quomodò verò definient, quum seruilis illa forma ab ipsa corporis ex substantia virginis coagulatione, & huius hominis in hanc vitam humillimo ingressu, intra abiectissimi stabuli præsepe repositi, & iam tum peccata nostra luere incipientis, cœperit? Quinam igitur hæc humanitas à forma Dei ad formam serui sit delapsa, quę simul & esse & serua esse inceperit? Et si serua nata est, qnînam Deo citra rapinam æqualis? Item, si hic homo censendus est Deus, propter illam Dei formam, (vti sanè est, quamuis non eo quo isti volunt sensu) an non Deus esse desierit, quum seruilem formam acciperet? nisi fortè cum Marcione imaginariam hanc fuisse, ac proinde nos imaginaria crucis morte seruatos fuisse censebimus. Reipsa enim vtramque simul formam habere non potuit, quum, (vt sensus ipse testatur, & ait rectè Damascenus lib. 3. cap. 3. hac ipsa de re differens,) *nulla natura contrarias differentias recipiat.* Neque Kemnitianum istud latibulum: *Non subiectiuè*, quidquam aduersarios hic iuuerit. Nam si hic homo siue hæc humanitas (quandoquidem D. Andreas vtrunque istud vult esse cõcretum) ■ priùs quàm serui formam acciperet, in forma Dei existebat, nec tamen ipsi vt subiecto inerat, quînam tandem existebat? & quid aliud esse potuit quàm inauditum monstrum, omnis formæ expers? Verùm quid opus est vlla tã perplexa disquisitione? Is de quo hic agitur, æqualis Deo citra rapinam extiterit oportet. De hominis verò siue de humanitatis æqualitate quæri non potest, quin quæ inter se æqualia esse dicuntur, secundùm se distinctè considerentur, non autem vt vnum totum. Itaque si homo iste verè, id est citra mendacium æqualis Deo dici potest, nihil ei desit oportet, quod ad æqualitatem istam spectet, nec adsit aliquid vnde inæqualitas consequatur. At id fieri nullo modo nisi in tribus illis diuinis personis posse, res ipsa demonstrat, quoniam videlicet non tantum longè alia ratione sunt vnum essentia, quàm individua humanæ speciei sunt vnum specie: sed etiam quia omnis compositionis expertes, solo ὑπάρξεως τρόπῳ differunt. Demus igitur veram esse quam isti commenti sunt realem essentialium Deitatis, vel in assumptam naturam, proprietatum effusionem, vt initio scribebant Brentiani, vel cum assumpta humanitate (vt loqui ex Kemnitiana subtilitate nũc malunt) communicationem ab vnitione naturarum diuersam. Demus præterea hanc communicationem rectè definiri vnica θεανδρικῇ & Monothelitica actione, quòd videlicet ὅλος ος nihil nisi

per aſſumptam humanitatem agat. Demus etiam quod D.Andreas fateri nunc erubeſcit pag.271.nullas prorſus eſſentiales proprietates ab hac communicatione excipi. Num propterea æqualis fuerit Deitati hæc humanitas,ſiue τῷ λόγῳ hic Homo? Vnde igitur iſtud à à D.Brentio ſcriptum,à D.Andrea intolerabili cum Chriſtiani nominis infamia inculcatum, & à me iam aliquoties citatum? *Exæquamus Humanitatem Chriſti Diuinitati nõ οὐσίᾳ ſed ἐξουσίᾳ: non eſſentia, ſed potentia: non natura ſed gloria: non ſubſtantia ſed Maieſtate.* Iſtud verò inæqualis æqualitatis gloſſema, vnde tandem depromſerunt qui nobis ſolent gloſſas obiicere? Non certè ex Apoſtoli verbis, qui expreſſiſſimis verbis, Formam Dei definit paritatem cum Deo:ſi non ex rapina,certè ex natura. Nullus enim hîc locus mediæ alicui gratiæ: quia precaria nulla eſſe poteſt Deitas, vtpote quæ ſic neceſſariò multiplicaretur: ex quo errore nata eſt πολυθεΐα. Et ſi qua talis eſſe poſſet, æqualis tamen naturali non eſſet. Obſecro igitur,Chriſtiane lector, quicunque hæc legis,non miraris eò potuiſſe res tam paucis annis recidere, vt iis in locis, in quibus viſum fuit Domino veritatis ſuæ lucem, quæ cæteris gentibus præluceret,noſtra memoria accendere, tam abſurda,inepta,craſſa, ridicula dogmata potuerint audiri patienter, nedum tam pertinaciter defendi,dum vnico fulciendo Cõſubſtantiationis errori certatim adiumenta quæruntur? Viuis certè apud Dominum. Viuis, vti mihi perſuadeo,& maximè probabile eſt, D.Luthere, fortis alioqui & felix veritatis Euangelicæ noſtris temporibus inſtaurator,& alter planè Gedeon: ſed vtinam illi in eo diſſimilis, quòd Ephod reliquiſti,in Germania,quod factum eſt & fit nimiùm multis in laqueum.

Theſ. XIII. Vvirt.

Quòd autem Chriſtus omnibus creaturis, in primis verò Eccleſiæ & electis ſuis, vbique etiam humannitate ſua, præſens ſit, id ſacræ literæ euidenter teſtantur. Vbi (inquit Chriſtus) ſunt duo aut tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum, Matth.18. Et alibi: Ecce (inquit) ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi, Matth.28. In quibus dictis,nihil opus eſt diuellere humanam naturam à diuina, quia perſonam Chriſti, ne mors quidem ipſa diuidere potuit. Paulus de aſcenſu hominis Chriſti in cœlum ſcribit: Aſcendit ſuper omnes cœlos, VT IMPLERET OMNIA, *Epheſ. 4. Et in eadem epiſtola de Chriſto homine teſtatur,quòd omnia in omnibus impleat, Epheſ.1. Implere autem omnia ſecundum Scripturæ phraſin, omnibus rebus cœleſti modo*

do præsentem esse significat. Ego cœlum & terram impleo, dicit Dominus, Ierem. 23.

XIIII.

Modus autem huius præsentiæ in sacris literis non exprimitur: Itaque QVOD *Christus, non localiter quidem & physicè, sed supernaturaliter omnibus creaturis verè præsens sit, credimus.* QVOMODO *autem id fiat, ignorare nos in vera & pia humilitate libenter fatemur.*

Antithes. XIII. & XIIII. Th. Bezæ.

De omnipræsentia aliter etiam statuimus, quàm de superioribus duobus, id est, potestate & scientia, quibus agnoscimus abundantissimè & ineffabiliter donatam & ornatam esse ἀ λόγῳ assumptam carnem. Istam verò omnipræsentiam, quæ infinitam [1]essentiam necessariò præsupponit, vni Deitati prorsus, & quarto, vt loquuntur, modo propriam, [2]nullo modo in humanitate Christi, quantúmuis hypostaticè vnita & nunc glorificata, circunscriptionem tamen suam retinente, agnoscere possumus. Denique ὑπερφυσικὰ quæ cognoscimus, & quibus summè exornata est Christi humanitas, ab [3]ἀντιφυσικοῖς, quibus humanitas aboleretur, penitus discernimus: & quæ hîc profertis testimonia, partim ad vnicam [4]Deitatem τοῦ λόγου (licet ab humanitate non separatam, distinctam tamen,) referuntur, partim ad ipsius, tanquam capitis, in membris suis vim sese exerentem, spectant.

1. Absoluta omnipræsentia præsupponit infinitam essentiam. Sed participatæ sufficit, vt natura eius particeps facta, vnita sit cum infinita natura, cuius participatione habet, quòd infinita natura per essentiam est.

2. Non sufficit dicere: nullo modo fieri posse: sed oportet probare. Nã contrarium apertè sacra Scriptura testatur, Eph. 1.4.

3. Omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia non sunt ἀντιφυσικὰ, sed ὑπερφυσικὰ, supra naturam humanam, non contra eam: Ideóque etiam eam non euertunt.

4. Verba Christi aperta sunt, qui seipsum interpretatur, & vim illam CARNI tribuit, quæ ipsi ἀ λόγῳ communicata est, quæ à Christo tanquam capite deriuatur.

Responsio ad marginales annotationes.

Duplicem esse modum realiter obtinendarum essentialium Diuinitatis, vel vllius etiam naturæ creatæ proprietatum, non magis probauerit vnquam D. Andreas, quàm singulas naturas, ne diuina quidem (excepta, de qua tamen sic pro nostro captu loquimur,) suis proprietatibus peculiaribus non distingui, vel naturam illam non mutari, cui essentiales alterius proprietates verè & reipsa attribuantur. Quod si aliter sentire est prorsus & secundum Deum & se- 1.2.&4.

cundum homines insanire, quid de eo existimandum est, qui Diuinitatis proprietatum contendat realiter fieri participem naturam humanam, quas tamen in sese non habeat, idque, quod etiam prodigiosius est, eius hypostaticæ vnitionis vi, cuius tamen definitio talem realem communicationem expresè tollat? Hoc igitur non est ad obiectionem respondere, sed præstigiari. Cuinam enim persuadebit D Andreas, vel realem omnipræsentiam, non præsupponere infinitam & incircũscriptam essentiam, vel, proprium quarto modo, diuersissimis duabus naturis realiter esse posse commune?

Ad loca verò Scripturę à D. Andrea citata quod attinet, fateor sanè Christũ esse in medio suorũ cœtu, & Ecclesię suę adesse & adfuturũ ad finem vsque seculi. Sed si quæcunque de Christo dicuntur, singulis eius naturis tribuenda D. Andreas existimat, &, nisi id fiat, Christi personam separari somniat, sit igitur adhuc Christus in sepulchro, nec ascenderit, nec abierit ad Patrem, sed discipulorum oculos sit ludificatus: nec verè dixerit, *Me non semper habebitis*, &, *Auferetur ab illis Sponsus*: denique Iudæam totam iens, rediens, non obierit, nec sit etiam è cœlo verè rediturus, vt qui corpore suo terras etiam impleat: neque sit dũtaxat In, Sub, vel Cum pane, sed etiam apud manes. Denique hæc portenta Omnimaiestatica quis Christianus amplius ferat? Apage igitur has ineptias: & saltem, quid ipsi, ante tot annos ex ipsis patribus ad hæc ipsa loca perperam ab illo ad Humanitatis Actu primo præsentiam detorta, sit allatum, perpendat potiùs quàm istam toties recoctam crambẽ lectoribus reponat. Ex duobus autẽ locis à D. Andrea prolatis, vt intelligat ex illo ad Ephes. 4. vbi dicitur Christus ascẽdisse in cœlos, vt omnia impleret, quàm ineptè argumentetur, recordari debuit Sophistarum esse non logicorum plus assumere in conclusione quàm in præmissis. Quænam enim obsecro est ista collectio? Christus ascendit vt impleret omnia, ergo implet omnia corpore suo? Itaque ne refutatione quidem indiget istud, quod isti tamen tanquam inuictum argumentum occinere consueuerunt. Quasi verò quæ de donis in homines collatis, & Euangelico ministerio per orbem terrarum obeundo statim subiicit Apostolus, manifestissimè non indicent, quónam ista omnium impletio referatur. Alter autem locus ex eiusdem epist. cap. 1. Vbi dicitur Christus, vt caput, implere omnia in omnibus, quum perspicuè ad Christi Spiritum toti suo corpori mystico, nempe Ecclesię, spiritualem omnem sensum & motum suppeditantem, referatur, quo pudore, quæso D. Andreas, ad realem carnis Omnipotentiam transfert? Et quod

vt

vt diuinæ ſuæ vniuſ eſſentiæ proprium ſibi vendicat Deus Ierem. 23 *Ego*, inquiens, *cœlum & terram impleo*, quinam audet D. Andreas ad impium iſtud ſuum Omnipreſentialis Humanitatis monſtrum, accommodare?

Αντιφυσικὰ vocamus quæ ſunt φυσικοῖς ἀντιφατικὰ, Aliquatenus 5.
certè potentem eſſe & ſummè potentem eſſe: item aliquatenus ſcientem & omniſcientem, ἀντιφατικὰ non ſunt ſi ad idem ſcientiæ & potentiæ genus referantur, ſed ſecundū plus & minus differunt. Tu verò quum Humanitatem Chriſti contendas eſſe Realiter Omnipotentem & Omniſcientem, neque id potentiæ facultate creata, ac proinde precaria & finita, nec ſcientiæ dono itidem creato, nec aliunde ſubiecta, neque ex humano diſcurſu, ſed illa ipſa Omnipotentia, & Omniſcientia eſſentiali quæ eſt Deus ipſe: tam proinde hæc eſſe ἀποφατικὰ ac proinde ἀντιφυσικὰ dico, quàm Æternum, ſiue à ſe eſſe, repugnat Creato: infinitum, finito: Simpliciſſimum compoſito: quàm denique Subſtantiam eſſe & Accidens eſſe. Ad Omnipræſentiam autem eſſentiæ quod attinet, tunc illam probabit, D. Andreas ἀντιφυσικὴν non eſſe corporeæ naturæ, quum Circunſcriptum, Palpabile, Viſibile, Organicis partibus compoſitum eſſe, oſtenderit ex diametro non repugnare, Incircunſcriptæ Inpalpabili, Inuiſibili, Simplici naturæ, cuiuſmodi etiam eſt Angelorum & aliorum animarum natura: ideſt, quum ipſum Ieſum Chriſtum arguerit falſi: vt qui veritatem corporis ſui à mortuis excitati ſatis firmis argumentis non probarit, ſi palpabile & viſibile eſſe non ſunt quarto modo & inſeparabiliter corporeæ naturæ propria. Quantò minùs verò illud quod vſque adeo diuinæ naturæ proprium eſt, vt ne beatis quidem iis ſpiritibus tribui poſſit, nempe vt, quia ſimpliciſſima eſt & verè ac propriè modis omnibus infinita, ipſius natura, idcirco Eſſentialiter vbique ſit Omnipræſens, idcirco Humanæ naturæ quantúmuis glorificatæ, & ſupra res creatas euectæ Omnipræſentia tribui ſine blaſphemia & ipſius-met interitu poteſt?

Theſ. XV. Vvirtemb.

Quin etiam carnem Chriſti verè viuificam eſſe, cum pia antiquitate (quæ etiam mortuorum reſurrectionem, ex carnis Chriſti viuificæ ſumptione, confirmauit) credimus. Chriſtus enim dicit: Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerent Manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc

pane, viuet in aternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita &c.

Antithes. XV. Th. Beza.

Quod ad viuificationem attinet, carnem Christi viuificatricem esse non negamus: at non eo sensu, de quo hîc agitur. Est enim viuificatrix: non tamen ea vi, quæ est propria Deitatis, & prorsus ἀκοινώνητος: sed primùm, quoniã in hac carne Christus mortẽ pro nobis abolcuit, impletis iis omnib⁹ quæ ad vitã æternã nobis acquirendã requirebãtur. Deinde, quia nõ nisi huius carnis spiritualiter nobis per fidem cõmunicatæ interuentu, vitam illam æternam ex Christo Deo & homine nanciscimur: & eò accommodanda sunt Scripturarum testimonia à vobis prolata.

1. Carnem Christi viuificam esse, VI DEITATIS PROPRIA, totus chorus Patrum Orthodoxorum cõfirmat. Ideo apertè falsũ, quod in hac responsione asseritur.

Responsio ad marginales Annotationes.

1. Si quid est Deitatis proprium, illud est quo facit vt sint quæcunque sunt, vtpote solus Iehoua. Illius ergo etiam vnius est vitam mortuis reddere, ac multò magis æternam vitam tribuere. Est autem καταλληλος prorsus vt naturarum, sic & proprietatum & voluntatum & ἐνεργειῶν ac ἐνεργημάτων κοινωνία, id est, ἕνωσις. Sicut ergo distinctæ manent in vnione hypostatica vnitiones, ita etiam illa quæ diximus omnia. Quod si negat D. Andreas, vel alius quisquam, causa non est cur amplius contra ipsos disputetur. Quàm igitur verum est totius suppositi, nempe Christi ipsius esse ἀποτελέσματα: & quàm verum est, quamuis distinctæ sint & maneant, tum naturæ, tum voluntates, tum actiones in Christo, tamen vnam non agere absque θατέρᾳ κοινωνίας, id est ab altera separatam, idque tum propter personæ ὅλως consideratæ vnitatem, tum quòd τῷ λόγῳ, quatenus ipsi visum est subseruiit in actionibus humanis, humana natura, tam falsum est & blaphemum, vel Deitati Humana, vel Humanitati Diuina, abstractis videlicet vocibus, vel in naturis, vel in voluntatibus, vel in operationibus tribuere. Et quoniam D. Andream hîc non puduit Patrum consensum iactare, cogor hîc illi reponere toties iam antea contra ipsum prolata. Sic igitur Damascenus hac de re lib. 3. Orth. fid. cap. 15 *Iesu Christo miraculorum vis, erat ipsius Deitatis actio, manuum autem in miraculis edendis adhibitio, & velle & dicere, volo: purgator: erat humanitatis ipsius actio: ipsius autem actionis*

nis effectum. Humanæ quidem naturæ fuit panum fractio: & quod leprosus audiuit, volo: diuinæ verò panum multiplicatio, & leprosi purgatio. Item. *In Christo Deitatis quidem ipsius actio est diuina & omnipotens: Humanitatis verò ea quæ naturæ nostræ conuenit* (vbi igitur D. Andreæ Omnipotentia & Omnipotens Actio vnica, & Deitati quidē principaliter agenti: Humanitati verò vt causæ instrumentali, realiter communis:) *& effectum quidem humanæ naturæ est quòd puellæ manus prehensa fuerit & attacta: diuinæ verò quòd puella sit in vitam reuocata, quamuis vnus ab alio seiungi nequat.* Item. *Nec humana natura Lazarum à mortuis excitauit, nec rursus diuina potentia lachrymatur, nam lachrymæ quidem quiddam sunt Humanitatis proprium, vita verò eius est, qui est ipsa in Sese subsistens vita.* Et Nyssenus. *Neque humana natura Lazarum viuificat,* (audiat istud D. Andreas) *nec deflet iacentem impatibilis potētia: sed lachryma quidem est hominis* (id est Christi quatenus Homo) *propria vitæ verò* (id est Deitatis) *ea quæ verè vitæ sunt: non nutrit multa hominum millia humana mendicitas, non accurrit ad ficum Omnipotens potestas.* Et Amphilochius Iconiensis Basilio σύγχρονος. *Deus sum & Homo, hæretice, Deus vt spondent miracula: Homo, vt ostendunt affectiones.* Et Apollinaris. *Est hominis* (id est Christi quatenus homo est) *surgere à mortuis, Dei verò* (id est Christi quatenus Deus) *à mortuis excitare.* Et Cyrillus, *Quæ diuino modo facta sunt à Christo, non sunt humanæ τάξεως attribuenda, sed naturæ ineffabili, & omnem mentem transcendenti.* Non est igitur Nestorianus qui in ipsa quoque vnione, vt naturas sic etiam voluntates & energias & singularia ἐνεργειῶν ἐνεργήματα distinguit: Sed merè Eutychianus est, qui vel diuina Humanitati, siue in Sese, siue in verbo, vt isti nunc loqui consueuerunt, vel humana attribuunt Deitati. Nec propter hanc distinctionem negantur actiones esse ipsius suppositi, quum vtraque natura etiam distinctè volens & agens, in vna & eadem persona subsistat. Nos autem, inquit Damasc. quamuis ex illa sublimi conceptione ne tantillum quidē alterius formæ fuit separatum, sed vnius personæ, omni tempore actiones vtriúsque formæ fuerunt, tamen ea quæ inseparabiliter fiebant, nullo modo confundimus, sed quid cuius fuerit formæ ex ipsa operum qualitate intelligimus. Hic igitur D. Andreas viderit cur refutatione 7. ad Antithes. nostram 10. crassissimum Nestorianismum vocet quod diximus τὸν λόγον agere distinctè, id quod est τῷ λόγῳ: *nam sunt*, inquit, *duæ voluntates distinctæ in Christo, & duæ distinctæ θέλαι & energiæ.* Hoc certè verum est ac proinde non magis erit Omnipotens Humanitas in Deitate, quàm Humanitas fuerit ipsa Deitas, nec

operabitur Humanitas in Deitate, quum potiùs dicendum sit agere Diuinitatem in humanitate, vt principaliter agente per instrumentum. Quænam igitur erit hæc Omnipotentia realiter, (quamuis non subiectiuè,) ipsi Humanitati communicata, quâ diuersam ab vnitione esse vult, vtpote illius vt causæ effectum? Et quis erit istius Omnipotentiæ effectus, si otiosa est in ipsa Humanitate? Immo & in ipsa Diuinitate per Humanitatem? Iam autem audiamus Nestorianissimum, *Actiones autem*, inquit, *sunt communes ad vnum finem directæ*. Actiones, opinor, vocat ipsarum ἐνεργειῶν ἐνεργήματα, quum paulò ante ipsas vt voluntates sic etiam energias agnouerit esse distinctas. Quid autem ineptius fuerit, quàm distinctis manentibus agendi facultatibus, communia facere ipsarum ἐνεργήματα? Quod enim in quaque duarum naturarum distinctum manet, propriũ quoque illius permanet: ac proinde, commune, ne cogitatione quidem, nisi falsa, ne dum reipsa esse potest. Communia verò facere ἐνεργήματα, quoniam ad vnum finem tendant, non modò falsum, sed etiam ridiculum fuerit: non minùs quàm si communes esse diceres duorum diuersissimorum fluuiorum fontes & alueos, qui tandem tertium quendam fluuium constituant. Quot sunt igitur distinctæ ἐνέργειαι, tot sunt distincta ἐνεργήματα, ac proinde tot distincti proprij istorum ἐνεργημάτων fines. Ab his autem finibus distinctis & diuersis, sicut & ipsæ diuersæ sunt naturæ, voluntates & agendi facultates, discernere debuit D. Andreas commune ad quod concurrunt ἀποτέλεσμα. Sic docuit voluntatem Patris sui Christus, corporis quidem voluntate & actione distincta, loquendo: animæ verò suæ vi & operatione, cogitãdo & linguæ plectrum mouendo. Deitate denique sua, mentem suam diuinissimè informando, & auditorum suorum electorum animos ad intelligendum & credendum disponendo, siue, vt loquitur Lucas, cor illorũ aperiẽdo: quæ omnes actiones sine personæ separatione distinctissimæ fuerũt aduersus Monophysitas & Monothelitas, ad commune personale, ac proinde θεανδρικὸν, non Eutichianum, sed hypostaticæ vnioni conueniens ἀποτέλεσμα, nempe saluificæ doctrinę promulgationẽ & electorum salutẽ concurrentes. Sic in editis miraculis, Deitati quidẽ diuinas operationes: Humanitati verò humanas distinctè tribuere cogit ipsarũ naturarũ vnitio, distinctionẽ illarũ seruans: commune verò tum diuinarũ tum humanarũ illarum actionum ἀποτέλεσμα, Deitatis ipsius Christi, & cælestis ipsius doctrinæ probatio. Sic denique quæcunque implendi Mediatoris officij causa fecit & dixit Christus, prudenter secundũ cuiusq; naturæ

ræ distinctè tribuēda sunt aduersus Eutychen, ad commune vnius personæ Christi Dei & Hominis ἀποτέλεσμα, nostram videlicet redemptionem aduersus Nestorium referenda: quod etsi suprà iam aliquoties proposui, rursum tamen placuit hoc loco repetere, vt postquam omnes, si fieri posset, & quantus hic sit error, & vnde profluxerit, & quæ sit Orthodoxa de istis rebus sentētia, cognouerint, omnis ista, de rebus toties iam olim aduersus damnatissimas hæreses tam diligenter & tam perspicuè declaratis, controuersia, inter nos aboleatur.

Thes. XVI. Vvirtemb.

Hanc Maiestatem omnipotentiæ, omniscientiæ, omnipræsentiæ, & virtutem viuificandi habuit Christus, quatenus homo (propter personalem vnionem) etiam cùm in vtero matris esset: sed tum eam non exeruit aut vsurpauit. Postea verò natus in hunc mundum, quoties opus fuit, eam in miraculis & distributione corporis & sanguinis sui demonstrauit & vsurpauit: quantum quidem ratio vocationis & officij eius postulabat. Erat enim tunc Christus in forma serui, & se exinaniuerat, vt pati & mori posset, Phil. 2.

Antithes. XVI. Th. Bezæ.

[1]Dona in carnem Christi subiectiuè effusa (cuiusmodi sunt, quæ hîc recensetis) nec statim, nec perfectè, vt nunc, CHRISTI animæ & carni collata fuisse, liquet ex eo, [2]quòd creuisse, vt corpus staturâ, sic anima sapientiâ & gratiâ verè dicitur, Luc. 2. & diem illum vltimum ignorasse, Matth. 24. Et omnibus carnis nostræ infirmitatibus, excepto peccato, verè obnoxius fuisse humiliationis suæ tempore ab Apostolo dicitur. Quo sensu παθητὸς Act. 26. dicitur, non tamen κατ' ὑπόστασιν, vt Marcion blasphemauit. Hæc autem caro [3]nullo modo simul & eodem tempore παθητὴ, & talis esse potuit, qualem illam in ipso veræ suæ abiectionis tempore fuisse statuitur. Vnde consequitur, per ascensionem ad cœlos & per sessionem ad dexteram Patris, Christi carnem non duntaxat declarationem & vsum

1. Dona in carnem Christi subiectiue effusa, non esse Omnipotentiam, Omnipræsentiam omniscientiam, vim viuificandi, suprà demonstratum est. Quia non sunt accidentia neque in DEO, neque in assumpta humana natura: sed in Deo essentialia, in assūpto homine personaliter donata.

2. Hæc testimonia omnia ad statum humilitatis & exinanitionis referenda sunt.

3. Contrarium Paulus, qui dicit: Christum fuisse in forma Dei, & simul gestasse formam serui, Phil 2.

4. Cõsummatio hæc fuit Maiestatis communicatæ reuelatio, quæ prius forma serui tecta fuit.

huius gloriæ & potestatis, sed ipsius gloriæ & potestatis [4]consummationem fuisse adeptam.

Responsio ad marginales refutationes.

1. Primùm, rectè nunc negat D. Andreas illas de quibus agimus proprietates diuinitatis esse qualitates, siue in Deo, quum sint ipsius essentia, siue in ipsius humanitate, quoniam ipsi subiectiuè non insint. At si non subiectiuè, quomodo igitur insunt? Personaliter inquit. Ergò recta istius dicti explicatio adferetur, nempe quatenus hic homo non in sese, sed in filij Dei persona subsistit, vt de hoc homine dicantur quæcunque Dei sunt, quatenus Deus est, & de λόγῳ quæcunque sunt huius Hominis, quatenus ὁ λόγος Homo est, sed per ἀντίδοσιν in solis concretis vocibus, & vt de toto Christo aduersus Nestorium, non vt de Toto Christi, secundum Eutychen & eius renatos sectarios. Deinde vt hoc etiam non seueriſſimè vrgeam, vnde & ex quo tandem scriptore deprompta est hæc phrasis, Humanitati inesse vel Deitatem vel essentiales eius proprietates? Nam dicit quidem Apostolus plenitudinem Deitatis habitare & quidem σωματικῶς in Christo: quod tum de ipsa Vnitione naturarum, tum de donis & qualitatibus in carnem collatis dicitur, istam verò vanam & prorsus fictitiam essentialium proprietatum in assumtam Humanitatem communicationem, quæ sit quiddam, inter vnitionis gratiam & illa creata charismata, medium, vnquam Apostolo in mentem venisse, nunquam magis isti probabunt, quàm tenebras esse lucem. Antea verò sic loquutos esse D. Brentium & D. Andream de isto somnio, vt realem, & merè ἐνεργητικὴν illam constituerent, non tantùm ex illis liquet toties à me citatis de communi Dei habitatione in Christo & sanctis omnibus, & ex istis blasphemis inexcusabilibus D. Andreæ verbis, Christum hoc habere commune cum omnibus sanctis, quòd cum eo Deus fuit personaliter vnitus: Sed magis etiam perspicue ex ista ipsius Thes. 21. Non est imaginanda aut fingenda alia Dei in Christo quàm in creaturis reliquis omnibus quoad οὐσίαν diuinitatis præsentia, quæ vt in creaturis ἐνεργείᾳ discernitur quòd alia in aliis agat & operetur, ita in Christum tota diffunditur. Atque hæc est communicatio plenitudinis omnis Deitatis, de qua loquitur Apostolus Colos. 1. Secum igitur consentiat primum D. Andreas, ac demum postea nobiscum disputet.

2. & 3. Ita sanè est, vt hîc loquitur D. Andreas ad statum exinanitionis Filij

Filij Dei iſta pertinere. Verum & illud, ſimul illum geſtaſſe formam Dei, quæ formam ſerui non ademerit, & formam ſerui, quæ formam Dei non imminuerit, ſed quod de duabus naturis καθ' ὑπόςασιν, citra vllam in ipſis naturis vnitis immutationem dicitur, ad vnius humanitatis contradictorios ſtatus detorquentem D. Andream,& vno eodémque tempore vni naturæ contradictoria, id eſt ſummam gloriam & infimam abiectionem, exæquationem cum Deitate & exinanitionem vſque ad mortem crucis,vni & eidem ſubiecto,vno & eodem tempore realiter tribuentem,& iſtud delirium vaniſſimo illo commento, *Non Subiectiuè*, tuentem, quis ſatis ſanæ mentis ferat ? Nec ego verò ignoro δύναμιν non ſemper exerere ſuam energiam ſiue quòd non poſſit, ſiue quòd nolit : ſed an propterea eidem naturæ & eodem tempore contradictorias in ſeſe facultates, cuiuſmodi ſunt ἀπαθῆ & παθητὸν, immortalem & mortalem, potentiſſimam & infirmiſſimam reipſa eſſe, ſine inſania dixerit. Diximus autem de iſta duplici non Humanitatis ſed Chriſti perſonæ forma pleniſſimè, paulò antè in 2. Antitheſ. noſtræ 12. obſeruatione: quibus tamen hoc vnum adiiciam. Formam ſerui, ſiue exinanitionem Formæ Dei, appellant iſti, non ipſius Humanitatis aſſumptionem hypoſtaticam, in quo valde hallucinantur, ſed duntaxat humilem illum aſſumtæ carnis in hac vita ſtatum : quod ſi verum eſſet,certè glorificatio carnis, formam illam ſerui totam abſumpſiſſet,quod abſit.Quamuis enim Humanitas illa, olim pro nobis ad tempus abiectiſſima, nunc omnem in cœlis & terris poteſtatem in res omnes creatas adepta ſit,& inenarrabiliter euecta, nihilominus tamen ne nunc quidem Deitas, neque increata, nec infinita euaſit. Semper enim excipitur in hac gloria, is qui ſubiecit ei Humanitati omnia, nempe Pater : ac proinde ipſe quoque Filius, quatenus eſt vna eadémque trium perſonarum Deitas, potentia & gloria. Qua de re ſcribens Auguſt. De verbis Domini ſerm.58. *Ipſe*, inquit, *Chriſtus Filius Dei, æqualis Patri in forma Dei, quia ſemetipſum exinaniuit, non formam Dei amittens, ſed formàm ſerui accipiens, maior eſt & ſe ipſo, quia maior eſt forma Dei quæ amiſſa non eſt, quàm forma ſerui quæ accepta eſt.* Nunc igitur Humanitas,etſi peracto abiectionis illius ſuæ pro nobis miniſterio dominatur ipſis etiam Angelis,tamen quum hęc gloria naturam illi non ademerit, ac proinde finita, organica, palpabilis, viſibilis hæc caro eſſe non deſierit,neque ipſius anima quantumuis omnibus donis glorioſiſſimis, ſupra ipſos etiam Angelos coruſcans, ſuam illam humanæ

naturæ proprietatem non depoſuerit: homo denique ille, homo eſſe, & quidquid eſt, quo homo à cæteris creatis rebus diſcernitur, eſse non deſtiterit, infra Deitatem, etiam eius Perſonæ in qua ſubſiſtit, ſemper ſubſidet, & hoc reſpectu forma ſerui eſt. Quod ne temerè dicere videar, ecce Auguſt. verba tractat. in epiſt. Iohan. 4. vbi de Chriſti ad iudicium aduentu, *Videbunt*, inquit, *impij, ſed formam ſerui: formam Dei non videbunt. Quare? quia impij ſunt, et ipſe Dominus dixit, Beati mundo corde, quoniam ipſi Dominum videbunt.*

4. Minimè nego humanam naturam eo ipſo momento quo in vnitatem perſonæ aſſumpta eſt, ius etiam obtinuiſſe glorioſiſſimæ illius ſupra ipſos Angelos dominationis, quicum inenarrabilis gloria cohæret: & fateor etiam τὸν λόγον ſuam illam humanitatem prout neceſſarium id eſſe, & ipſius & noſtri cauſa iudicauit, aliquo illius eminentiæ veluti guſtu donatam confirmaſse, & ſolatum eſſe: ſed hoc dico priùs illum oportuiſse pati, quàm in illam gloriam reipſa introiret. Qua igitur in re diſsenſio eſt? In hoc certè longè maxima, nempe quòd D. Andreas, & eius ſectarij aberrantem D. Brentium ſecuti, Humanitatem Chriſti imaginantur ab ipſo aſſumptionis momento, iam tum fuiſse re ipſa tam glorioſam quàm nunc eſt: quamobrem etiam articulum Seſſionis ad dextram Patris cum eo confundunt, quo dicitur è Spiritu ſancto conceptus. Et ne quid ad extremum delirium deeſset, quamuis ne nunc quidem cæleſtis illa gloria, vt ipſemet Chriſtus poſt reſurrectionem, palpabilis & viſibilis, non per συγκατάβασιν, ſed ſecundum humanæ veræ naturæ legem, teſtatus eſt, patiatur, vt alibi nunc illum carne ſua exiſtere quàm in cœlis credamus, vnde venturum illum ſperamus, tamen illam iam audent ſpoliis diuinitatis, id eſt eſſentiali Deitatis ipſius, Omniſcientia, Omnipotentia, Omnipræſentia denique ornare: quòd alioqui ruituram ſuam Conſubſtantiationem realem videant, niſi tam portētoſo figmento illam ſtabiliant. Mirum eſt autem ac penè incredibile, D. Andream, qui pag. 271. ab illa ſua eſſentialium proprietatum communicatione reali excipiendas illas cenſet quibus humana natura non perficeretur, ſed deſtrueretur, cuiuſmodi ſunt ab æterno per eſſentiam infinitum, incorporeum, immateriatū eſse & ſimilia: nec tamen agnoſcere poſſit, realem Eſſentiæ Omnipræſentiam penitus ab ipſa Eſſentiæ ſumma ſimplicitate, & infinitate adeò dependêre, vt illis poſitis neceſsariò ſequatur, ſublatis, tollatur: ac propterea ne Angelicæ quidem naturæ tribuatur. In ſumma quemadmodum nubium vel tenuioris etiam vaporis interpoſitione, Solis lux impeditur, quibus

bus ſublatis, Sol lucem [redacted] acquirit, ſed quam priùs re ipſa habebat, plenè patefacit, ſic etiam Chriſtum depoſita carnis ſuæ infirmitate, nouam illam gloriam, non fuiſſe adeptum, ſed quã à conceptionis in vtero Virginis momento, reipſa adeptus erat plenè manifeſtaſſe. Nos autem hoc dogma, vt Euangelicæ toti hiſtoriæ repugnans deteſtamur, tum quoniam hac ratione, illa παθήματα quibus ſalus noſtra nititur extraneum aliquid fuiſſent, nec verè in illa humanitate, & per illam humanitatem præſtita, ſicuti nubes & vapores ipſum corpus Solis non afficiunt, tum quòd ſi nihilominus Humanitas dicatur verè & reipſa fuiſſe illis infirmitatibus omnibus, excepto peccato, obnoxia, Chriſtiana fides ſic neceſsariò falſa comperiatur, quòd vna eadémque natura ſimul & reipſa eſse verè dici nullo modo poſſit, & ſumma illa gloria, & illa abiectiſſima infirmitate prædita.

Theſ. XVII. Vvirtemb.

Status autem exinanitionis & formæ ſerui, quæ ad breue tempus in Chriſto durabant, nihil derogant eius Maieſtati, in quam plenè ingreſſus eſt, quum aſcenderet ad cœlos, & conſidêret ad dexteram Dei Patris Omnipotentis: quæ dextera Dei eſt Maieſtas Chriſti ſecundum vtramque naturam præſenter regnantis in cœlo & in terra. Itaque iam Chriſtus, In, Cum, & per aſſumptam humanam naturam, omnia in cœlo & in terra gubernat. Hoc eſt enim ſedere ad dexteram Dei. Itaque Apoſtolis in orbem terrarum emiſſis, cooperatus eſt Chriſtus, & ſermonem Euangelij confirmauit ſequentibus ſignis, quæ ex virtute, & potentia, & in nomine Ieſu Chriſti fiebant, Mar. 16.

Antith. XVII. Th. Bezæ.

Aſſentimur huic theſi, duobus exceptis. Primùm, quòd formam ſerui, & ſtatum exinanitionis, quem [1]vocatis, pro vno eodémque accipitis, & à Chriſto vtrumque depoſitum arbitramini. Nos autẽ per [2]formam ſerui ipſam humanitatem, [3]ſecundum quam ſemper fuit, eſt, & erit, ſeipſo [3]λόγῳ inferior, & nobis ὁμοούσιος, intelligimus, quamuis infirmitates omnes peracto redemptionis noſtræ miniſterio, depoſuerit. Inter illas autem infirmitates, minimè reponenda eſt [4]circunſcriptio, vtpote quæ ipſam humanitatem formaliter conſti-

1. Videantur verba Pauli, & res manifeſta erit.
2. Vos dicitis, ſed non probatis: quod non ſufficit.
3. Etſi humanitas naturâ λόγῳ ſemper inferior: tamen non ampliùs eſt ſerua, Act. 2. 12.
4. Maieſtatis communicatio, cum circunſcriptione non pugnat, nec eam abolet, aut naturam euertit, ſed in ſummum gradum gloriæ in thronum proprium Dei exaltat.

tuat. Alioqui quum vltimo illo die venturus est visibilis, ac proinde corporea substantia circunscripta, dicendus tunc esset non glorioſissimus, sed rursus hac infirmitate resumpta, humilis appariturus. Deinde Christum regnare nunc quidem,& tum in cœlo,tum in terra omnem potestatem, secundum vtramque naturam,habere profitemur: at nō [5]præsenter,quod ad carnem attinet: dicente Apostolo,quòd nunc in terris [6]peregrè à Christo absimus, & desiderante migrare ex corpore, vt cum eo coniungeretur: qui etiam propterea non iam veniſſe,aut adesse sua carne,vel ex inuisibili visibilis denuò futurus, sed [7]venturus conspicuus dicitur.

5. Præsentissimus, quia non per vicarios, sed se ipso dominatur, sicut suprà dictum est.

6. Peregrinatio est illa physica & localis, quæ illam spiritualem præsentiam non adimit, qua Christus nobis præsentissimus est.

7. Visibiliter,qui nobis nunc inuisibiliter hîc in terris cœlesti modo præsens est.

Responſio ad margin. refutationes.

1.2.& 3. Vide supra obseruationem 2.in Antith.12. & obseruat. 1.in Antithesi 16.

4. Si hæc Omnimaiestas vestra circumscriptionem Christi corporis non tollit,quinã stabit illud Brentianũ pag. Recog. suæ, (quam rectissimè feciſſet si totam recognouisset,) pag.43. *Quod dicit Theodoretus & alij, corpus humanum Christi habere in altero seculo eandem circunscriptionem quam habuit in hoc seculo, nullo rectè intellecto scripturæ loco dicit: & est puerilis cogitatio de rebus cœlestibus.* Et istud, pag.249. *Si Christi humanitas in dextra Maiestatis circunscriberetur loco, non esset præstantior Angelis facta, quippe quòd circunscribi certo loco,non sit summæ Maiestatis, sed aut corporalis infirmitatis* (& quid aliud diceret Eutyches renatus? & quæ hæc est insciti essentiales naturarũ proprietates, id est illud quibus sublatis naturæ esse desinunt id quod sunt, inter infirmitates quibus natura læditur numerare? *aut spontaneæ ad gratificandum aliorum infirmitati dispensationis.* Et quæ rursus hæc insciti est, οἰκονομίαν & συγκατάβασιν confundere? Sed & istud D.Andreæ ex ipsius Apolog. ad Thes. Ingolstad. pag.56. quinã cum istis potest conuenire? *Augustinus hoc dicto, non esse consequens vt quod est in Deo ita sit vbique vt Deus, non negat Humanitatem Christi esse vbiq;, sed vbique esse negat eo modo quo Diuinitatem.* Hoc si verum est,ergo non erit vbique Humanitas per essentialem Deitatis Omnipotentiam & Omnipræsentiam. Per se enim vel aliena virtute vbique esse Deitatis Omnipotentia &

Omni-

Omnipræſentia, modum ipſum præſentiæ non variat. Et hoc rurſum eiuſdem D. Andreæ loco ex eiuſdem libri pag. 63. quid fiet? vbi. *Quum corpus*, inquit, *Chriſti glorioſum non amplius ſit phyſicum ſed Spirituale, quis id dicet moueri de loco in locum?* Mirabilis certè Theologia, quæ φυσικὸν corpus Chriſto adimit, & Spirituali gloria, naturam humani corporis aboleri contendit. Quod ſi verum eſt in Chriſto, certè & in membris verum erit. Sed dicat nunc, quæſo, D. Andreas, ſi Naturale deſiit eſse Chriſti corpus per glorificationem, quomodo circumſcriptum manſerit. Nihil enim eſt corpori magis proprium, quatenus quantum ſimul eſt & materiatum, quàm circunſcriptio: vnde fit vt ſit quoque palpabile & viſibile. Et concedens D. Andreas circunſcriptionem, quînam locomotiuam tollet? Si denique verè circumſcriptum & organicum eſt Chriſti corpus, quînam falſa non erit Omnipræſentia diuina illi ipſi corpori, realiter ſimul & eodē tempore, imò extra omnem temporis rationem, attributa?

Mirabilis certè collectio, *Chriſtus non dominatur mundo per vicarios, ſed ſeipſo, ergo carne ſua præſentiſſimus eſt rebus omnibus.* Chriſtus erat ante Abrahamum, Ergo, carne exiſtebat? Nequaquam, inquiet, D. Andreas, quia nondum erat hæc caro. Num verò ex quo Filius Dei, Deus & Homo extitit, vbiq; hæc caro extitit? Certè, inquiet D. Brentius. Fuit enim ſimul in Bethlehem in præſepi, & re ipſa ſimul in cœlis. Ergo non abiit, non rediit, nec abfuit hoc corpus à domo Centurionis, quum ille diceret neceſse non eſse vt domum ipſius ſubiret, & præſens adfuit, etiam ſecundum carnem morienti Lazaro. Non eſt hîc, dixerunt Angeli de corpore quod reſurrexerat. Et dixit ipſe Chriſtus, *Me non ſemper habebitis.* Scilicet, inquiet D. Andreas, ſecundum circūſcriptionem corporis in ſeſe: at non ſecūdum Omnimaieſtatem Humanitatis in Deitate. Quare rationem huius gloſsæ, audies ſtatim ex Kemnitiano acumine, *illud quidem Subiectiuè, iſtud verò non Subiectiuè. Et tamen vtrumque verè & realiter de ipſa carnis eſſentia dicitur.* Quod ſi excipias huic tam falſo & tam ἀσυζάτῳ dogmati, (præſertim ex ea ipſa duarū naturarum hypoſtatica vnitione impudentiſſimè elicito, quæ tamen certiſſimum eſt ad has ipſas præſtigias euertendas fundamentum,) aſsentiri non poſse: ſtatim audies, hanc omnium argumentorum ſolutionem generalem: Ergo hæreticus es, teterrimus Caluinianus, negas Omnipotentiam Dei, euertis Dei teſtamētum, verbum Dei tuo ſenſui ſubiicis, Neſtorianus es, de Chriſto non aliter iudicas quàm ipſe Mahumetes. Sed abſit vt hęc bruta fulmina reformi- 5.

demus. Tu verò, Germania, quando tandem istas præstigias agnoscès?

6. Dixi ex Apostoli totidē verbis nos corpore peregrè nunc abesse à Domino, quatenus quidem certè corpore præditus est. Quis enim Christum & quatenus Deus est, & sancti sui Spiritus effectis, versari cum Sanctis & in Sanctis dubitet? Inde verò colligi necessariam corporis ipsius à nobis tanto locorum interuallo absentiā, quanto terra, à qua corpus illud verè discessit, abest à cœlis supra quos ascendit, & quò etiam ad illum suspiramus. Respondet D. Andreas, *Peregrinationem id est absentiam illam esse physicam & localem, quæ spiritualem præsentiam non adimat.* Ego illud prius vt verissimū agnosco, istud autem posterius non sine distinctione. Spiritualis enim illa demum præsentia corporis Christi physicam & localem non tollit, quam ex verbo Dei ponimus, qua fit videlicet vt quod spatiis longissimè distat, oculis fidei, (quibus iam olim Abraham diem Domini, quanuis nondum in carne reipsa exhibiti, tamen vt iam illa sua carne præsentissimi, intuitus est, ideóque fidei lætitia gauisus) verissimè & efficacissimè intuemur, apprehēdimus, & apprehensum nobis spiritualiter applicamus. At illa chimærica, & futilis Omnipræsentia, vtriusque naturæ veritatem, falso Omnipotentiæ prætextu abolens, vnionis hypostaticæ definitionem euertens, denique ab analogia fidei & Sacramentorum fine ex diametro dissidens, quinam stare cum physica & locali vera præsentia possit?

7. Argumentatus sum à verbis *Abeundi* & *Redeundi*, vt veram corporis Christi à terris absentiam statuerem, quum hæ voces necessariò, quum de vero corpore dicuntur, mutationem loci includant: sic propriè, & non figuratè vbique loquente Dei verbo, & ita cogente articulorum fidei Christianæ analogia, vnde illud August. *Secundum corpus hîc vsque adeò non est, vt è cœlis venturus speretur.* Et Athanasius de corpore Christi etiam glorificato loquens, *Eius est*, inquit, *ire & venire, qui locorum terminis circumscribitur, & eum locum in quo erat deserit, vt ad illum vbi non erat, veniat.* Quid ad hæc D. Andreas? *Visibiliter, inquit, aduenit qui nunc est inuisibiliter præsens.* At ego quæro, quo tropo, quo idiomate, qua tandem rationis vel leuissima specie, *Abire è terris & Ascendere in cœlos*, significet locum non mutare, sed ex visibili inuisibilē adhibito, (vt D. Brentium scribere non puduit) vsque ad nubes Ascensionis spectaculo, fieri: & REDIRE *ex cœlis* ad orbem terrarum iudicandum, idem declaret atque contrà ex inuisibili visibilem & conspicuum

fieri.

fieri. Et, qui est huius erroris crassissimi cumulus, docere nihilominus hoc ipsum corpus realiter suam circunscriptionem retinere. At quòusque tandem Germania, præstigias istas feres?

Thes. XVIII. Vvirt.

Quin etiam propter indissolubilem vnionem personalem rectè & verè dicitur, homo Iesus Christus est Deus verus: &, Deus æternus, homo factus est. Nihil aliud enim dicit Ioannes, cùm inquit: VERBVM CARO FACTVM EST, *Ioan. 1. Verbum enim illud (teste eodem Apostolo in eodem capite) erat* DEVS: *Caro autem secundum phrasin Scripturæ significat* HOMINEM. *Itaque hæc propositio: Verbum caro factum est, nihil aliud significat, quàm Deus homo factus est. Eam ob causam Paulus de Christo sic scribit: Ex quibus (Iudæis) est Christus secundum carnem:* QVI *est super omnia* DEVS *benedictus in secula, Rom. 9.*

XIX.

Hanc ob causam rectè & verè dicitur: Deus passus est pro nobis, Deus mortuus est pro peccatis humani generis: etsi libenter fatemur, quòd diuinitas in se nec passa sit, nec mortua: sed quòd Christus passus sit in carne, vt Petrus loquitur, 1. Petr. 4. Interim tamen, etsi diuinitas mori non potest, contumeliæ non modò ad filium hominis, sed etiam ad Filium Dei pertinebant, quia non sunt duæ in Christo personæ, sed vnica tantùm. Nisi enim Dei sanguis pro nobis effusus esset: nos nec ab æterna morte redempti, nec à peccatis nostris emundati essemus. Ideo Paulus Ecclesiam Ephesinam verbi Ministris commendans, ait: Spiritus sanctus posuit vos Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit SANGVINE SVO, *Actorum 20. Et Ioannes inquit: Sanguis Iesu Christi* FILII *eius, emundat nos ab omni peccato, 1. Ioan. 1.*

Antithes. XVIII. & XIX. Th. Bezæ.

Assentimur, sed hoc præterea à vobis requirimus, vt quemadmodum rectè & piè, propter hypostaticam vnionem, & respectu totius personæ, Deo incarnato tribuitis per idiomatum communicationem, quæ assumptæ humanitatis sunt propria: ita etiam homini, quæ Deitatis τῷ λόγῳ assumentis propria sunt, attribuatis. Et ne rem nouam à vobis petere videamur, petere nos dicimus, quod iam olim D. Lutherus totidem istis verbis faciendum esse scripsit, in nouissima ver-

1. Diuersa est communicationis ratio, propter naturarum diuersitatē, & naturæ immutabilitatem.

ba Dauidis : [2]ſicut duæ naturæ in vnam perſonam vniuntur : ſic vniuntur etiam nomina vtriuſque naturæ, in nomen vnius perſonæ, id quod nominatur communicatio idiomatum vel proprietatum. Vt homo dicitur & eſt natus ex Maria virgine, & crucifixus à Iudeis: Idem nomen debet etiam tribui filio Dei, & dici : Deus eſt natus ex Maria virgine, & crucifixus à Iudæis : quia Deus & Homo eſt vna perſona, & non duo filij, alter Dei, alter Mariæ: ſed vnus idémque eſt Filius Dei & hominis. Quamuis autem aſſumens natura excellat omnibus modis, & præſertim in eo, quòd per ſe ſubſiſtens ſubſiſtentiam humanæ naturæ præbeat: [3]tamen non diſſimili, ſed vna & eadem vnionis ratione, Verbum carni, & caro Verbo, vnitur. Et ingens illud diſcrimen, quo fit, vt Deitas aſſumens, nihil à natura, quam aſſumit, accipiat, ſed contrà humanitas inde locupletetur, non ad vnionem ipſam hypoſtaticam, ſed ad illud eius effectum pertinet, quod [4]gratiam habitualem vocari diximus.

2. Nos & verba & ſententiam Lutheri amplectimur. Non autem intelligimus duntaxat de verbali, ſed reali naturarum vnione. Vos autem de verbali duntaxat accipitis, quod falſum eſt.

3. Hoc falſiſſimum eſt. Quoniam duæ aliæ naturæ ita vniuntur, vt altera det altera accipiat. Sed hîc diuina nihil neque perfectionis neque imperfectionis, ab humana accipere poteſt, propter ſummam perfectionem & immutabilem. Ideo ratio vnionis diuerſiſſima eſt.

4. Ex vnionis gratia habet humana natura, quæ Deitatis propria ſunt.

Reſponſio ad marginales Annotationes.

1. & 3. Quum naturæ & quæ de naturis dicuntur inter ſe prorſus cohæreant, (quod quidem in Humanitate locum habet, non tantùm in proprietatibus Eſſentialibus, ſed etiam Accidentalibus,) inde conſequi dicimus, vt qua ratione naturæ iſtæ vnũ ὑφιςάμενον euadunt, quod eſt Deus & Homo, non autem vna natura quæ ſit Deitas & Humanitas, vnde fit vt in Chriſto quidẽ ſit Aliud & Aliud, Alius autem & Alius non itẽ: ſimiliter quoque Deo, nempe τῷ λόγῳ, quæcunq; ſunt illius hominis: & viciſſim, quæ ſunt hominis, de Deo, nempe τῷ λόγῳ reciprocè prædicẽtur, quod Damaſcen. vocat περιχώρησιν. Huius autẽ reciprocę prædicationis, vtramque partem quidem in ipſis Dei & Hominis appellationibus aduerſarij noſtri concedunt Theſ. ſua 18. id eſt, veras eſſe has vtraſque enuntiationes de Chriſto, Homo eſt Deus, & , Deus eſt Homo : In iis verò quæ de naturis dicuntur, alteram tantùm partem, qua de Deo dicuntur, quæ ſunt humana, vt quum dicitur Deus gloriæ eſſe natus, paſſus, ſepul-

ſepultus: Homini verò concedi nolunt quæ Deitatis τῦ λόγυ ſunt propria, quoniam inquiunt, *naturæ iſtæ diuerſæ ſunt, & natura diuina nihil accipere poteſt ab humana.* Verùm, quid tandem potuit minùs appoſitè reſponderi? Primùm enim, ſicut vnitio naturarum, ita etiam iſta eorum quæ de naturis dicuntur reciprocatio, nihil in naturis ipſis immutat, quæ ſaluæ ſemper & diſtinctæ manent in vnione hypoſtatica. Quemadmodum igitur, quum Deum gloriæ paſſum, mortuum, ſepultum dico, nihil Deitati detraho, quoniam hæc de Deo ſic dicuntur, non quatenus homo eſt, propter vnitatē perſonæ: Sic etiam quum dico, de Chriſto, Homo iſte eſt æternus, principio carens, immenſus, infinitus, & in genere quicquid de Deo dicitur, huic homini attribuo, nihil huic arrogo quod Deo ſit & maneat proprium, ideóque ἀκοινώνητον: quoniā de Homine quidem dicuntur, at non quatenus Homo, ſed quatenus Deus eſt, propter vnitatem perſonæ, non naturæ. Vaniſſimum eſt igitur quod iſti metuunt, & huius ipſorum erroris hæc cauſa eſt, quòd Abſtracta cum Concretis confundant, quaſi verè dici non poſſint, niſi quæ ipſis-met conueniant: quod falſiſſimum eſt propter perſonæ vnitatem. Deinde concedere tam verè dici de Chriſto Hominem eſſe Deum, quàm Deum eſſe Hominem, & poſtea negare de Homine verè dici quæcunquæ ſunt Dei, & tamen agnoſcere de Deo verè dici quæcunque ſunt Hominis, annon eſt ſibi ipſi cōtradicere, & poſito antecedente, neceſsarium conſequens inficiari? Quod certè facere veri diſputatores nunquam conſueuerunt. Denique, ſi valeret illa iſtorū ratio, nēpe ſi ex Diuinæ naturæ præſtātia, quæ nihil poſsit ab Humanitate recipere, æſtimanda eſset iſta perſonalis proprietatū reciprocatio, quis nō videt contrariū fuiſse ſtatuendū quàm iſti faciant? Concedūt enim de Deo dici verè quæ ſunt Dei, quū è cōtrario, ſi valeret ipſorū ratio, ſentiendū fuerit diuina quidem poſſe de homine dici, at de Deo humana, nequaquam. Poſtremò, iſta naturarum diuerſitas, (quam abiit vt inficiemur) efficere nullo modo poteſt, vt duæ ſint & quidem impares vnitiones, ſiue vt alia quàm vnica hypoſtatica vnitione Deus cum Homine, quàm Homo cum Deo vniatur, quamuis perſona τῦ λόγυ aſſumens humanam naturam in illo vnitionis opere dominetur. Sed hæc imparitas, effecta tantùm & conſequentia huius vnitionis variat, inter quæ realem proprietatum inter naturas ipſas communicationem ab ipſa vnitione diuerſam, non tantùm falsò, ſed etiam impiè cenſeri, ſingulis penè huius noſtræ reſponſionis paginis oſtendimus.

Verba D. Lutheri plana ſunt quamuis exemplum tantùm pro- 2.

proponat in quo humana de Deo κατ' ἀντίδοσιν prædicantur. Verbalem autem vnionem, vnde tandem & à quibus mutuarus sit D. Andreas, nescio: sed hoc scio mihi tale quidquam nunquam in mentem venisse. Quibus autem rationibus & quo sensu ἀντίδοσιν, siue, (non certè ἕνωσιν, quæ & ipsa interdū κοινωνία vocatur,) sed illam phrasin & loquendi formam, quæ à recentioribus vocata est communicatio ἰδιωμάτων, verbalem appellemus, & verbalem esse negemus, iam est à nobis aliquoties plenissimè declaratum: verbalem videlicet quatenus est figurata loquendi phrasis, & simul tamen realem ac verissimam, quum de Persona tota quatenus vna est dicitur, aduersus Nestorium. Si de naturis autem, vt à nostris aduersariis accipitur, nec verbalem nec realem, sed blasphemam & detestandam, quia merus est Eutychianismus.

4. Nihil potest apertiùs Eutychianum dici quàm quod hîc dicitur, *humanam naturam ex vnionis gratia habere quæ Deitatis sunt propria.* Stat enim illud quod inficiari extremæ stultitiæ fuerit, & quod à Cyrillo & Damasceno, millies inculcatur, vnamquamque naturam suis proprietatibus à cæteris differre, & proprium vnius naturæ esse desinere quicquid cum altera siue Subiectiuè, vt nunc loquuntur, siue non Subiectiuè, fit cōmune. Itaque quum inter disputandum quæreret ex me D. Andreas, vt ex verbo Dei probarem Humanitatem non posse proprietates Essentiales Deitatis recipere, quin euadat Deitas, non alia responsione illum excipere visum est, quam perinde illum facere, ac si me iuberet ex verbo Dei probare, nos esse Mompelgardi & ibi disputare. Quid enim potiùs ad petitionem eiusmodi responderem? Nec tamen immemor eram Christum ex operibus Deitatis propriis Deitatem suam passim probare: & corporis quoque sui à mortuis excitati veritatem ex veræ humanitatis proprietatibus probasse. Quę argumentandi ratio minimè foret necessaria & ἀποδεικτικὴ ex principiis καθ' αὑτὸ deducta, si qua prorsus ratione, quod vni naturæ proprium est, alteri commune esse posset. Neque etiam mihi exciderat Arrium à Patribus, iis quoque testimoniis præcipuè prostratum, quæ quum sint vnius Deitatis propria & Filio Dei, tum antè, tum post incarnationem attributa, necessariò probarent hunc Filium esse, verè & natura Patri ὁμοούσιον, Quòd si tunc verò excepisset Arrius, vestrum istud *non Subiectiuè, non οὐσία sed ἐξουσία, non essentia, sed potentia, non natura sed gratia*, num ad istas nō tātùm inanissimas præstigias, sed verè δυσφήμους blasphemias obmutuissent? Imò audiat D. Andreas, quid ad ista Cyrillus nunc quoque respondeat. *Si extrinsecus*, inquit,

quit, *Christo istas dignitates, nempe quòd sit creator, rex Omnipotens & adorabilis, aduenisse credunt, & tamen adorandum esse putant, non creatorem sed creaturam adorant, recentem quendam Deum ex imperitia fingentes.* Nam vt homo verè is demum est cui proprietates tribuuntur, quibus humana natura à cæteris discernitur, sic verus is demum Deus est, cui essentiales Deitatis proprietates conueniunt. Has proprietates facito inter naturas esse communes, & propriæ esse desierint, sic naturas non vniueris, sed confuderis. Itaque quia Christus vnica est persona, & propter vnicam ὑπόστασιν, in qua tum Deitas τοῦ λόγου, tum Humana natura subsistit, Deus est & Homo, propterea illi personæ quæ non abstractis sed concretis vocibus declaratur, verè, propriè & essentialiter, tum diuina, tum Humana etiam per ἀντίδοσιν attribuunt: sed prout est Homo & Deus. Non est autem Homo & Deus vel permixtis inter se naturarum substantiis, vel earum proprietatibus, seu voluntatibus, seu energiis, sed ea vnitionis specie quæ est καθ' ὑπόστασιν, id est naturis & iis quæ harum naturarum propria sunt, in vnam quidem Filij Dei personam præexistentem vnitis, sed tamen vt citra separationem hypostaseως, sic citra vllam confusionem distinctis semper inter se permanentibus. Nunquam igitur neque de λόγῳ, quatenus Deus est, prædicantur humana: neque de hoc homine, quatenus homo est, diuina, vt toties inculcat Damascenus. Multò minùs autem abstractis vocibus, vel de Deitate Humanitas & quæ Humanitatis sunt, vel de Humanitate Deitas, & quæ Deitatis sunt sine blasphemia possunt vnquam prędicari. Neque hæc blasphemia excusatur illa Kemnitiana vanissima distinctione, *Nō Subiectiuè*, quasi videlicet vel humanitas possit esse Deitas non in sese, sed in Deitate cui vnita est: vel homo iste reipsa per hypostaticam vnionem euaserit Deus, non in sese, sed in λόγῳ cui hypostaticè est vnitus. Nam hæc omnia merè sunt Eutychiana, & in Ecclesiis Christianis inaudita, in quibus nunquam dicitur, vel ὁ λόγος, esse factus homo in homine, nedum ipsius Deitas siue persona ἐνανθρωπεῖσθαι, vlla communicatione reali proprietatum humanitatis, ipsi non subiectiuè communicata: nec etiam homo ille dicitur, θεοθεὶς & λογοθεὶς, realiter, (quasi Deificatum & Verbificatū dicas,) in λόγῳ, vlla proprietate Diuinitatis essentiali, inde ipsum quamuis non Subiectiuè afficiēte, nedum vt abstractæ Humanitatis voci istud tribuatur. Sed dicitur ὁ λόγος assumpto semine Abrahæ factus Homo, & vicissim homo iste καθ' ὑπόστασιν assumptus Deus factus, manente vtraque natura, id quod naturaliter & essentialiter erat. Mutat

igitur D. Andreas quæ de Abſtractis falsò dicit, accepiſse videlicet humanam naturam ex gratia vnionis, quæ propria erant Deitatis: & Concretis vocibus dicat, hunc Hominem per vnionis gratiam hoc conſecutum, vt vnum ſit cum λόγῳ ὑφισαμένῳ: & proinde, quum neque in ſeſe, neque in alia, licet ſibi vnita natura, non ſubiectiuè, (manet enim in ipſa quoque Chriſti perſona diſtinctum, ἄλλο καὶ ἄλλο) nec in ſeſe ſubiectiuè, nec in λόγῳ non ſubiectiuè, eſse Deum, ſiue hunc diuinis vllis proprietatibus realiter prędituṁ, ſed Deum tamen eſse & dici Chriſtū, quamuis ab altera natura σωεκδοχικῶς denominatum: ſicut homo intelligens dicitur, & mortalis & immortalis, propter vnitatem indiuidui, quæ tamen niſi intelligantur, vt de vno ὑφισαμένῳ dicta, falſiſſimè dici nemo dubitarit.

Theſ. XX. Vvirtemb.

Et hic mediator & redemptor noſter Ieſus Chriſtus, totus religioſa adoratione eſt adorandus, ſecundum vtramque naturam: quia non habemus duos Chriſtos, quorum alter ſit adorandus, alter non adorandus. De toto enim Chriſto ſcriptum eſt: Adorent EVM *omnes Angeli eius, Heb.* 1. *Et cæci illi adorationem & inuocationem dirigebant, non tantùm ad Filium Dei, ſed etiam ad filium Dauidis, hoc eſt, ad humanam naturam in Chriſto, dicentes: Domine miſerere noſtri* FILI DAVID: *neque tamen à Chriſto eam ob cauſam reprehenduntur, ſed potiùs curantur, Matt.* 20. *Mar.* 10. *Luc.* 18. *Et Stephanus Martyr, qui certè ſolidam cognitionem Chriſti mediatoris habebat, in agone animam ſuam Chriſto commẽdans, dicebat:* IESV *ſuſcipe ſpiritum meum. Deo & homini* IESV *Chriſto, animam ſuam commendans.*

Antith. XX. Th. Bezæ.

Nos in adoratione vnica, vnici illius noſtri, ſecũdum vtramque naturam mediatoris, perſonam [1]minimè diuidimus: ſed naturas ſicuti par eſt, diſtinguimus. Eſt enim λόγος ver[2]m & abſolutum adorationis noſtrę obiectum, vtpote quæ Deo ſoli debeatur. Carnẽ autem illam aſsumptam ſic ab adoratione illa non excludimus, ne cum Neſtorio perſonam diuidamus, vt tamen illam (non [3]in ſeſe) ſed reſpectiuè (id eſt, quatenus eſt caro filij Dei, vnicam, cum, & in illo λόγῳ perſonã conſtituens) ſimul

1. Verbis videri non vultis, ſed re ipſa facitis, dum Chriſto ſecundum humanitatem adimitis, quę ad adorationem religioſam neceſſariò requiruntur, videlicet omnipotentiæ communicationem.

2. Quia ſoli Deo debetur, ideo carni ſine blaſphemia tribui non poſſe, aſſeritis.

3 Hìc manifeſtè excluditis, quia IN SESE in-

simul [4]adoremus. Simpliciter enim humanitas illa in [5]sese & non in alio respectu considerata, inquit Cyrillus, seipsam adorantibus connumerat, & adorat etiam Christus, vt homo, postquam factus est homo. Adoratur autem semper cum Patre & Spiritu, quia Deus verus secundum naturam est. Et idem de recta fide ad Theodosium: Num vt hominem (in sese videlicet, absolutè, etiam in vnione consideratum) Immanuelem adorabimus? Absit. Deliramentum enim hoc esset, & deceptio, & error. In hoc enim nihil ab iis differremus, qui creaturam vltra factorem & conditorem colunt. Denique vt paucis omnia, Anathematismum [6]octauũ Concilij Chalcedonensis secuti, vna adoratione colimus Immanuelem: sed secundum quod essentialiter Dei filius factus est hypostatica vnione caro.

telligitis ipsam substantiam naturæ humanæ, quæ non sit inuocanda, sed λόγος, cui vnita est.

4. Sicut pileus, seu corona Regis, quum Rex adoratur, quam nemo alloquitur. Lib. in Ioh. 2. cap. 92. in hæc verba. Nos adoramus quod scimus.

5. In sese. Cyrillus intelligit hoc loco & hac phrasi proprietatẽ substantiæ humanitatis, si per se consideretur: & simul statum exinanitionis complectitur.

6. Verbis probãt illum Anathematismum, sed re ipsa improbant.

Responsio ad marginales refutationes.

Quæstio de adoratione Christi etiam Hominis eâdem ratione deciditur qua superiores. Sicut enim in vocibus Concretis propter vnitatem personę, qua fit vt homo sit Deus, & Deus sit homo, non autem humanitas sit Deitas, nec Deitas sit humanitas, & humana Deo non Deitati: & huic Homini diuina, non humanitati, sed Deo quidem humana quatenus homo est, homini verò Diuina quatenus Deus est tribuantur, idem quoque necessariò de Hominis illius adoratione statuendum est. Quid autem D. Andreæ facias qui adimi putat homini θεανθρώπῳ, quicquid Humanitati etiam vnitæ non tribuitur. Num verò sicut homo iste factus est hypostatica vnitione Deus, sic facta est hæc humanitas Deus? Et tamen, personam, scilicet, diuidit, qui reali essentialium proprietatum inter naturas ipsas, siue subiectiua, vt isti initio sentiebant, & loquebantur, siue non Subiectiua, quam ne Eutyches quidem diuinare potuit, communicatione non definit. 1.

Rursum suæ Theologiæ more, D. Andreas, Abstracta cũ Cõcretis confundit, & sophistica ὁμωνυμίᾳ, siue volens, siue imprudens vtitur. Nam, si solum Deum vocat τὸν λόγον, ab Homine illo quicum vnus est καθ' ὑπόστασιν, siue re ipsa, siue cogitatione separatum, falsissimum est quod nobis impingit, diuideret enim personam cum 2.

Nestorio, qui vel hunc hominem diceret non adorari quum adoratur ὁ λόγος, verè & vnico ὑφιστάμενῳ θεάνθρωπος. Imò vt in Chalcedonensi quoque consilio disertè cauetur, coadorari Deum cum homine, vt alteram cum altera personam negamus. Sed hoc non impedit, quominus, sicut in ipsa vnitione naturarum, & eorum quæ cum naturis inseparabiliter cohærent realis distinctio, tum sine separatione, tum sine confusione accuratè seruatur: sic etiam hic homo, nō quòd in sese, vel quòd non subiectiua quapiam reali communicatione euaserit Deus: sed quia cum Filij Dei persona subsistit, id est, vnum quiddam est Actu, in illa adoratione necessariò, non quidem ἁπλῶς, vt antea ex Damasceno diximus, sed κατά τι, comprehendatur.

3.4.&5. Tertiò iam D. Andreas in eundem scopulum impingit. Quis enim nostrùm vnquam Christum negauit esse, & vt hominem, & vt Deum inuocandum. Nos enim ab illo nunc quoque è cœlis, vbi nunc secundum carnem est, non autem in terris, vt ab eo qui potestatem omnem etiam quatenus Hominis Filius est habeat in cœlo & in terra, & in res omnes creatas, & qui peculiariter sit Ecclesiæ suæ caput, respici, regi, inspirari, custodiri, in eius deniq; vnius nomine & patrocinio preces nostras omnes concipi oportere, quis Christianus inficiatur? Sed hæc certè pro nobis præstare, quæ pro salute nostra præstitit, non potuisset, nisi idē & vnus Deus & Homo fuisset, & nos vbique nunc exaudire, & iuuare tam procul absentes non posset, nisi Deus & Homo esset, ideóque quamuis vnicæ Christi inuocationis duplex est tamen ratio. Nam & vt pro nobis tanquam primogenitus frater intercedat, & vt nos tanquam Deus exaudiat petimus: nec propterea personam diuidimus. Sed hîc non immeritò quæritur an in ipsam humanitatem, vt suum obiectum hæc adoratio & inuocatio dirigatur. Aliud enim est Hominem illum considerare, non in sua Humanitate, sed quatenus vnum est cum λόγῳ ὑφιστάμενον, (qua ratione illi tribuimus κατ' ἄλλο quæcunque sunt τοῦ λόγου,) quàm si illum in sua ipsius humanitate spectemus. Et in hac quæstione, quiddam diuersum constituēdum videtur ab iis quæ de naturis ipsis & earum proprietatibus, voluntatibus & actionibus diximus. Hæc enim sunt in ipsis naturis, immò quòd ad Diuinitatem attinet, sunt ipsamet eius essentia: adoratio verò est extra ipsas naturas, quòd ab adorantibus proficiscitur. Respondeo verò, quod & ratio ipsa positis Theologicis principiis dictat, & omnium veterum patrum Græcorū & Latinorum auctoritate ac testimoniis centies à nostrarum partium scriptoribus,

bus,& à me ſpeciatim citatis cõfirmatur, nempe ad ipſam quoque carnem (id eſt humanitatem) Chriſti,adorationem & inuocationem noſtram dirigi,non tamen ſimpliciter, ſed κατά τι, id eſt non quatenus eſt ſimpliciter & in ſeſe creatura, (eſſet enim hoc mera idololatria:)ſed quatenus eſt Filij Dei Humanitas, in qua,ſicuti ſeſe mũdo exhibere voluit, & implere πνεύματα noſtræ comparandæ ſaluti neceſſaria, ſic nunc quoque vult,vt ſeruator, Rex & gubernator noſter agnoſci,coli & inuocari: eiúſque nobis per fidem ſpiritualiter apprehenſæ interuentu,nos quotidie ex fide in fidem, ac tandem ad beatam illam immortalitatem perducere. Quinam enim ſimpliciter ad eam naturam adoratio noſtra dirigeretur,quæ ne in ſeſe quidẽ, ſed in fidei perſona ſubſiſtit? Sed licet in filio ſubſiſtat, non tamen euaſit Filij Deitas, ſed Filij humanitas. Et hoc ipſum eſt quod Patres (inter quos Cyrillum D.Andreas hîc obliquè perſtringit) ſimilitudine regiæ purpuræ & cæterorum regiorum ornamentorum propoſita adumbrarunt: vtpote quæ & ipſa non ſimpliciter, ſed quatenus purpuratus & coronatus eſt Rex,& illis ornamentis eſt ornatus,qui vnus propriè & propter ſe,quamuis non abſque illis ornamẽtis,adoratur.Sed illa inquit D.Andreas nullus alloquitur.Nullus profectò: Sunt enim ſurda & muta: Homo autem Chriſtus, in ſua humanitate, nec mutus nec ſurdus eſt, ſed (licet eſſentia ſua non Omnipræſens, quia nec Humanitas illa Deitas eſt, nec Homo ille, quatenus homo eſt, aut in illa Deitate Deus eſt) cœlum & terram gubernat, & nec ſurdum nec mutum eſſe, ſaltem Saülem ex cœlis compellans ſatis demonſtrauit, miſeriis adhuc ſuis,vt ait Apoſtolus,ſed ſuo nunc modo,συμπάσχων:nõ debent autem longiùs extrà ſcopum protendi ſimilitudines: Nec inde cenſendi ſunt orthodoxi patres exiſtimaſſe cum Neſtorio,nõ aliter Humanitatem quàm indumentum,cum eius,cuiusinduitur, corpore coniungi.

Prouoco ad ipſum Anathematiſmi octaui contextum, & eius explicationem à Cyrillo adiunctam,& alios eiuſdẽ ſcriptoris locos centies à me multis iam annis citatos, & nominatim ad Damaſc. lib.4.de Orth.fide cap.3.ex quibus non recuſo,quin tota hæc controuerſia adhibito Dei verbo diiudicetur. 6.

Theſ. XXI. Vvirtemb.

Hæc ſana & pia doctrina de inſeparabili vnione perſonali duarum naturarum in Chriſto: de communicatione Idiomatum reali: de exaltatione humanæ naturæ ad dexteram,hoc eſt, Maieſtatem & virtutẽ Dei:

adeò non tollit præsentiam corporis & sanguinis Christi è sacra Cœna, vt eandem potiùs cõfirmet. Quia humana natura in Christo cum Filio Dei INDISSOLVBILITER *vnita, & proprietatum diuinarum particeps facta, atque ad dexteram Dei collocata, non modò in sacra Domini Cœna, sed etiam toti Ecclesiæ semper præsens est. In sacra autem Cœna caro & sanguis Christi dispensantur, &c.*

Antith. XXI. Th. Bezæ.

Sanam & piam doctrinam de inseparabili vnione hypostatica, & ipsi profitemur.[1] Communicationem idiomatum realem agnoscimus, vnitatis personæ respectu. Hominem etiam illum, aduersus Nestorium, agnoscimus, tum illa hypostatica vnione ad Deitatem ipsam, nedum ad maiestatem & virtutem eius euectum fuisse, vt qui per illam [2]euaserit θεὸς λόγος: tum etiam ineffabilibus donis, supra ipsos angelos ornatum. Ipsam autem humanitatem, contra Eutychetem, negamus illa hypostatica vnione Deitatem euasisse, vel [3]proprietatum diuinarum factam fuisse, vlla inde exoriente communicatione, participem. [4]Collocationem verò ad dexteram Dei, ad incarnationem minimè putamus referendam: sed partim tempus exinanitionis τοῦ λόγου finire: partim consummationem gloriæ & gratiæ habitualis carnis Christi in Cœna Domini, [5]non ad hypostaticam vnionem, sed ad institutionis sacramentalis verba referimus, qualem illam esse superiore nostro scripto diximus, spiritualem videlicet: qua etiam ratione illum secundum carnem, nunc toti Ecclesiæ, partim sua virtute, partim quia vnica est persona Iesu Christi, adesse, & ad consummationem vsque seculi ad futurũ, ex sacris literis discimus. Quum [6]alioqui realis corporis sui substantia, sicut quum in terris esset, à cœlis aberat: ita nunc in cœlo positus, à terris abest. Verissimè tamen & efficacissimè carnem suam iam

1. Communicatio idiomatum ipsis nihil aliud est, quàm naturarum & proprietatũ vnio: quum hæc tanquam causa & effectus differant.

2. Homo euasit θεὸς λόγος, quod hactenus in nobis reprehenderunt: sed quid intelligant, sequetur.

3. An non hoc est apertè communicationem Idiomatum cum Nestorio negare?

4. Peruersa interpretatio dexteræ Dei & sessionis ad dexteram Dei: de qua in collatione plura dicentur.

5. Manifesta est contradictio in verbis Thesiũ. Negant enim hypostaticam vnionem efficere præsentiam sacramentalem: toti autem Ecclesiæ sua virtute, & quia vnica est persona Christi, adesse.

6. Proprietate naturæ in cœlis, & non in terris dicimus esse: quod præsentiæ Sacramentali nihil derogat.

iam nunc 7admirabili & imperſcrutabili myſterio ſuis ad vitam æternam, tum in verbo, tum in Sacramentis ſpiritualiter per fidem inſinuans.

7. Quum hæc inſinuatio ſine reali præſentia non fiat: quæ cauſa eſt, quòd non datis Deo gloriam, & eam ingenuè nobiſcum fatemini?

Mompelgarti 24. Martij, 1586.

Theodorus Beza, Geneuenſis Eccleſiæ Miniſter.
Abrahamus Muſculus, Bernenſis Eccleſiæ Miniſter.
Antonius Faius, Geneuenſis Eccleſiæ Miniſter.
Claudius Alberius D. Profeſſor Philoſophiæ in Academia Lauſannenſi.
Petrus Hubnerus, Græcæ linguæ in Gymnaſio Bernenſi pub. Profeſſor.

Reſponſio ad marginales annotationes.

Quod centies iam inculcaui, iterum inculco, omnium Orthodoxorum patrum conſenſu, & ratione ipſa, & veritatis ipſius teſtimonio fretus, quum naturæ & eſſentiales earum tum proprietates tum voluntates, tum actiones, inſeparabiliter cohæreant, non aliter illas poſſe, quàm vna eadémque vnitione hypoſtatica communicari, id eſt vniri: ac proinde tam illos falli, qui communes fieri ſomniant, vt aliquo huius vnitionis effectu, vel Diuinitatis proprietates cum humanitate, (quod iſti timidè nunc innuunt potiùs quàm explicant,) vel humanitatis cum Diuinitate, (in quo ſuæ Conſubſtantiationis fundamentum collocant:) quàm qui Humanitatem aſſumptam dicerent factam eſſe Deitatem, etſi non in ſeſe, tamen in Deitate à qua aſſumpta eſt, & viciſſim Deitatem factam eſſe Humanitatem, ſi non in ſeſe, at certè in ea quã aſſumpſit Humanitate. Vtra verò pars à vero aberret iudicent quicunque non ſunt ab iſtis faſcinati. 1.

Vbi verò & quando negauimus Hominem per hypoſtaticam vnionem euaſiſſe θεὸν λόγον. Sed quoniam D. Andreas vnionem hypoſtaticam humanæ naturæ cum λόγῳ, non eo definit, quòd illa non in humana ſpecie, cuius ſit in diuiduum, ſed in Filij Dei perſona ſubſiſtat, ita vt ſit pars illius καθ' ὑπόστασιν compoſiti: (qua de re pleniſſimè ſupra diſſeruimus vbi definitionem hypoſtaticam à priore definiri poſſe ac debere oſtendimus:) quoniam, inquam, D. Andreas falſam & ridiculam illam realem Eſſentialium proprieta- 2. & 3.

tum inter ipsas naturas communicationem constituit: idcirco illi videtur negare hūc hominē esse Deum, id est Nestorianus esse, qui Deitatis proprietates cum Humanitate realiter communicatas fuisse infitiatur: quanquam, si ipsi creditur, non negauit Nestorius hunc Hominem esse Deum, sed tantùm Deo vel Diuinitati negauit competere humana: qua in re ipsum D. Andream falli suprà pleniſſimè ostendimus, vt qui τὸν λόγον cum Humanitate assumpta, non καθ' ὑπόστασιν, sed κατὰ χέσιν duntaxat & κατ' ἀξίαν & ὁμοτιμίαν, id est Brentianam recens natam exæquationem, & ὁμοβυλίαν, id est Kemnitianam, siue Monothelitică θεανδρικὴν operationem, verbo vniret, re disiungeret: ideóque non θεοτόκον, sed χεισοτόκον Mariam vocaret. Sed de his antea plus satis.

4. Sessionem ad dextram patris, (quam etiam per formā Dei peruersissimè explicat ad ipsum incarnationis momentum referens D. Andreas,) tum Christiani symboli articulos confundit, tum manifesto Dei verbo contradicit, quum oportuerit Christum primùm pati, & ita introire in Patris gloriam: tum Marcionis deliriis certissimum fundamentum substernit, quum reipsa glorioſissima & infirmissima vna & eadem natura simul esse non potuerit, & tamen velut ex tripode, nos vt peruersos interpretes condemnat.

5. D. Andreæ contradictoria videntur, docere Christum etiam secundum carnem, (id est etiam carnem) partim sua virtute, (nempe Spirituali) partim quia vnica est Iesu Christi Persona Ecclesiæ suæ adesse, & tamen negare hypostatica vnione effici præsentiam Sacramentalem, vt pote quam ad institutionem ipsius Cœnæ Domini referamus. Ego verò respondeo, nullam hic esse contradictionem, nisi quatenus hoc vtrumque duplici ipsius falsissimo dogmati repugnat, quorum vnum est, quòd Spiritualem, quam ponimus præsentiam, ipse in essentialiter corpoream, idea spiritualis cuiusdam vtopicæ speculationis tectam commutat: alterum quòd Sacramentalem præsentiam Christi in Cœna Domini cum illa vniuersali qua Filius Dei, licet totus, id est vnus & minimè diuisus, non tamen secundum sui totum, vbique Ecclesiæ suæ adest, idque multiplici errore, propter præsentiæ Sacramentalis peculiarem tum modum tum finem peculiarem. Adest enim illi pani Spiritualiter quidem, vt vbique: sed non debet tamen in Cœna Domini, ita præsens, vt vbique est oculis fidei, spectari, sed quatenus ex peculiaris sui fœderis formula sese illic nobis, vt adhuc in cruce pendentem, & sanguinem pro nobis ex vulneribus adhuc suis stillantem, fidei oculis spectari, & eiusdem fidei manu prehensum quasi

intra

intra viſcera noſtra ad æternæ vitæ alimentum inſinuari. Differt igitur his reſpectibus plurimùm Sacramentalis præſentia ab illa generaliore, ideóque rectè ratione eſſentiali ſuæ formæ, à ſanioribus etiam Auguſtanæ confeſſionis Doctoribus aduerſus ipſum D. Andream, & eius ſectarios originem & principium non ab hypoſtatica vnione, ſed ab inſtitutione ipſius Cœnæ meritò habere defenditur.

Aſſeruimus in noſtra Antitheſi, realem Humanitatis Chriſti 6.7.
ſubſtantiam, ſicut quum in terris eſſet à cœlis aberat, ita nunc in cælo poſitam à terris abeſſe: nec tamen veriſſimam & efficaciſſimã ipſius, tum in verbi tum in Sacramentorum adminiſtratione, ac præſertim in Cœna Domini, veriſſimam ac efficaciſſimam præſentiam negari, qua ſeſe menti fideli magis ac magis apprehendendũ, &, ad totius hominis ſalutem, fruendum præbet. Sunt autem illa non noſtra verba, ſed totius Orthodoxæ vetuſtatis, teſtante Auguſt. *Chriſtum, ſecundum carnem, quoniam in cœlum aſcendit, hîc non eſſe: & ibi, non autem hîc, ſedêre ad dexteram Patris.* Et Cyrillo, *Nullũ ambigere, Chriſtum præſentia carnis abeſſe, & corpore abſentem ſedere & interpellare apud patrem: & quum Spiritum mitteret Apoſtolis non potuiſſe cum eis carne conuerſari.* & Vigilio. *Quando fuit in terra non fuiſſe in cœlo, & nunc, qui in cœlo eſt, non eſſe vtique in terra.* Et Fulgentio. *Chriſtum eſſe hominem localem, & ſecundum humanam ſubſtantiam abfuiſſe cœlo quum eſſet in terra, & deſeruiſſe terram quum in cœlum aſcenderet.* Item, *Chriſtum ſecundum totum Hominem quem accepit, terram localiter deſeruiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, & ad dextram Dei ſedere.* Quid ad hæc D. Andreas? *Proprietate*, inquit, *naturæ eſt in cœlis & non in terris, quod præſentiæ Sacramentali nihil derogat:* Verò quidem certè Sacramentali præſentiæ nihil derogat, non præſentia in terris, ſed abſentia in cælis. Eſſentiam autem veri corporis eandem realiter pluribus, nedum omnibus ſimul locis præſentem reipſa adeſſe poſſe, quoties repetet D. Andreas, & ſacræ hiſtoriæ veritati, & ab omnibus omniũ à nato Chriſto ætatum Orthodoxis ſcriptoribus, vt inaniſſimi commenti reus redarguetur. Et tamen mox quaſi triumphum canens, *Quum hæc*, inquit, *inſinuatio ad vitam æternam ſine reali præſentia non fiat, quæ cauſa eſt quòd non datis Deo gloriam?* Quaſi verò realem illam præſentiam id eſt craſſum mendacium certam eſſe veritatem vel probarit, vel probare vnquam poſſit. Abſit igitur vt ab iſtis idcirco diſſentiamus quòd Deo gloriam dare nolimus, ſed quòd, vt ait Cyrillus, *Nihil firmum ac ſtabile, nihil perpetuum ſolidè Deo attribuetur, ſi creatura*

quoque (cuiuſmodi eſt Chriſti Humanitas quantúmuis vnita & ſupra ipſos Angelos glorioſa) *eſſentialiter & in ſua natura* (ſiue ſubiectiuè, ſiue non ſubiectiuè, nihil intereſt) *recipere poterit quæ in Deo eſſentialiter ſunt.* Vbi igitur illa realis eſſentialium proprietatum Deitatis cum Humanitate communicatio, qua tanquam hypoſtaticæ vnitionis effecto, ipſa hypoſtatica vnio tam præfractè euertitur? *Et quis non perhorreſcet tantam veritatis dogmatum perturbationem audiens? Omnia enim ſurſum atque deorſum euertuntur, Deitatis natura ad creaturam deducitur, & creaturarum Eſſentia per inſaniam ad ſuprema naturæ locum ſcandere creditur. Hos ergo fluctus, hanc tempeſtatem impietatis relinquentes, ad tutum pietatis portum enatare ſtudeamus.* Hæc ille: cuius ſanis & rectis conſiliis, cur non potiùs obſequamur, quàm cum vbiquitariis, ad Neſtorij & Eutychetis ſcopulos fidei naufragium faciamus?

SEQVENTIA DOGMATA CVM Scriptura ſacra pugnare iudicant Theologi Vvirtembergenſes.

I.

QVod in Perſona Chriſti nulla ſit alia proprietatum communicatio, reſpectu naturarum, quàm ea, quæ faciat communia nomina: qua ratione Humanitas in CHRISTO *nihil acciperet à Diuinitate: neq; ea, quæ acciderunt humanitati, quicquam pertinerent ad Filium Dei æternum. Et quòd affirmatur, phraſin tantùm eſſe, & modum quendam loquendi, cùm dicitur: Deus eſt homo, & homo eſt Deus. Deum enim nihil cum humanitate, & humanitatem nihil cum Deitate* REALITER, *hoc eſt, verè & reipſa commune habere. Et in propoſitione, Homo eſt Deus, vocabulum (Hominis) non ſignificare verum hominem, ſed Filium Dei, qui ſuſtentat humanam naturam. Itaque hanc propoſitionem (Deus eſt paſſus) ſic interpretantur, Deus, id eſt, humanitas Deitati vnita, eſt paſſa: & homo eſt omnipotens, id eſt Deitas humanitati vnita, eſt omnipotens. Hoc eſt dogma Neſtorij, qui dixit: Noli gloriari Iudæe, non Deũ ſed hominem crucifixiſti. Hoc enim dogma facit duos Chriſtos, quorum alter diuinam haberet Maieſtatem, alter cum ea nihil haberet commune. Alter paſſus eſſet pro genere humano: alteri verò cum paßione nihil omnino fuiſſet commune.*

AD-

AD DOGMATA, QVÆ D. COLLOCVTORES indicant cum Scriptura Sancta pugnare, &c.

Responsio I. Th. Bezæ.

IDamnamus & nos eos, (si qui sunt eiusmodi) qui existimant per hypostaticam vnionẽ naturas nominibus tenus vniri, quasi pet illam λόγος non sit, sed tantùm dicatur homo, & vicissim homo ille non sit reipsa, sed nomine tantùm dicatur Deus. Sed ex hac vnitione humanitati communicari aliter quàm vniri proprietates τῦ λόγυ, quasi sit re[2] ipsa in λόγῳ Omnipotens & Omnipræsens, &c. negamus. Quia[3] hæc communicatio & vnio, vnum & idẽ est: & vt respondimus ad Thesin 18. & 19. [4] pari prorsus ratione oporteret τὸν λόγον aliquid accipere ab illa humanitate. Ad nos igitur ista nihil perrinent, quæ hîc primo loco reprehenduntur. Communicationem autem Idiomatum realẽ facimus, vt & ipsam vnionem: [5] non tamen naturarum, sed vnitatis personæ respectu: & hãc enunciationẽ, qua Deus dicitur passus, sic interpretamur, [6] Deus, id est, caro Deitati vnita est passa. Hoc enim sentire didicimus ex Petro Apostolo, qui [7] CHRISTVM (id est, illam personam) dicit passum esse in carne, id est, in humanitate, non in Deitate sua. Et vicissim interpretamur: [8] Homo est omnipotens, id est, Deitas humanitati vnita, est omnipotens. [9] Nec propterea diuidimus personam cum Nestorio, sed naturas, & earum proprietates, vt poscit hypostaticæ vnionis definitio, aduersus Eutychetem [10] distinguimus. Denique respondeat vobis D. Lutherus, cuius hæc sunt verba in sermone Natalitio super 1. cap. Epist. ad He-

1. Verbis dãnatis quid sed re ipsa idẽ asseritis? quod paulo pòst planum fiet.

2. Quid magis apertè dici posset? Humanitatẽ negant re ipsa in λόγῳ omnipotentem esse.

Vnio sine communicatione asseritur.

3. Vnio & communicatio Plurimùm differũt.

4. Non sequitur: quia ad vnionem illam sufficit Deitatem dare, & humanitem accipere.

5. Nulla prorsus est communicatio, si neutra natura alteri communicet, quod suum propriũ est. Et hic fuit Samosateni error.

6. Aperta negatio communicationis idiomatũ Nestoriana.

7. Deprauatio verborũ Petri, quę priorẽ assertionẽ euertunt. Nã aliud est dicere: Christus passus est in carne: & aliud, caro Christi passa est.

8. Quid hîc homini tribuitur, nisi inanis titulus? Imò etiã illi homini derogatur, quę soli Deitati adscribitur, omnipotentia. NESTORIANISMVS.

9. Idem Nestorius dixit, sed eius nulla ratione habita, Patres Concilij eum hæreseos damnarunt. 10. Hoc non est distinguere, sed separare.

braeos. "Humanitas Christi æquè ac alius sanctus & naturalis homo, non semper omnia cogitauit, dixit, voluit, animaduertit, sicut quidam omnipotentē hominem, ex ipso faciunt, impudenter confundentes duas naturas, & earum operationes.

11. Hæc Lutherus de Christo scripsit, quatenus in statu exinanitionis fuit: & vt discrimen naturarum in Christo ostenderet. Nequaquam autem negat, Christum Omnipotentem hominem esse in Deo.

Responsio ad omnes in superiorem antithesin marginales refutationes.

Obsecro, Christiane lector, quisquis es rerum nostrarum non penitus imperitus, ecquam vnquam atrociorem iniuriam, manifestiore impudentia, cuiquam factam audisti, quàm ista sit? Ego ne verò, vel nostrûm quisquam, senserim nominibus tenus naturas duas Christi personam constituere? siue, hypostatica vnione sola fieri communia nomina? Humanitatem in Christo nihil accipere à Diuinitate? quæ Humanitati acciderunt, nihil ad illum æternum Dei Filium pertinere? qui nunc quoque electis suis inflictas pro ipsius nomine iniurias pro suis ducere, sit è cœlis, Saülum illum alloquens, vociferatus? Quînam enim id non faceret suorum membrorum caput? Et quînam illa magis etiam ad ipsum non pertinerent quæ non in alterius cuiuspiam, sed in sua ipsius anima, tum corpore perpessus est. Imò quisnam est, manifestior reus, violatæ Christi & doctrinæ & personæ, iis qui sunt ausi totidē impiissimis vocibus scribere, Christum Hominem hoc habere cum Sanctis omnibus commune, *quòd Deus cum eo Personaliter fuit vnitus*? In quibus paucis vocibus quot insunt blasphemiæ? Nam si Deum essentialiter accipit, apertè Sabellianus est: sin verò personaliter pro λόγῳ, euadit etiam Arriano deterior, qui etsi τὸ ὁμοούσιον negabat, Christo tamen Essentialem ὁμώνυμον Deitatem quandam non adimebat. Imò quum sic efficiatur necessariò vel non aliter Deum esse Christum, quàm Sanctos homines: vel Sanctos homines, vna & eâdem ratione, id est vnitione personali, Deos esse, atque Christus Deus est, hoc quid aliud est, quàm cum Samosateno Christum, quantúmuis summis donis excellentem, tamen ψυλὸν ἄνθρωπον constituere? Quinetiam quum hypostaticam vnitionem velit, D. Andreas, sola reali, quam comminiscitur, Essentialium Deitatis proprietatum extra ipsius Humanitatis subiectum existēte cōmunicatione cōstare, annon manifestè Hominem Christū necessaria

conse-

cutione asserit Deum esse extra se, ac proinde sola energia, non autem σωματικῶς, vt & cum & in Sanctis omnibus Deus esse dicitur? Sed quid Deo & Christo sint ad hæc responsuri viderint: & vt videant seriò, ad Dei gloriam, suam salutem, ecclesiarúmq; omnium pacem, ex animo precamur: tantum abest vt maledictis cum illis contendere velimus. Ad nos nunc venio. Et primùm quæro, quînam (si res ipsæ per hypostaticam vnionem non fiunt communes) quînam inquam fieri possint communia vocabula? At nos, ipso accusatore teste, communia facimus nomina, ergo & communes res illis nominibus significatas, quum vnum ex altero necessariò consequatur. Se ipsam igitur elidit hæc calumina. Sed quid si noster hic ne id quidem intelligit de quo loquitur? Etenim si roges quidnam per hæc nomina intelligat, cogetur aut à se suo more dissentire, aut ex iis quæ hîc scribit respondere à se intelligi naturarum nomina, id est Diuinitatis & Humanitatis: quasi nos dicamus ea fieri communia, id est communiter dici de Christi persona. Quo, quid indignius homine vel mediocriter in istis rebus erudito cogitari possit? Vt igitur ad rem redeam, dico iis nominibus quæ per hypostaticam vnitionem naturarum fieri communia rectè & orthodoxè dicimus, non potuisse cuiquam nisi homini ineptissimo venire in mentem, ipsa naturarum nomina, nempe Humanitatis & Diuinitatis Filij sic intelligi. Nec enim Humanitas, nec Diuinitas, siue in vnione, siue extra vnionẽ, aliud significare potest, quàm quod est in sese suis proprietatibus essẽtialibus à cæteris rebus distincta, quoniam alioqui Deitas Deitas, Humanitas Humanitas non esset. Neque hypostaticè vnitæ sunt hæ naturæ, vt quod erant esse desinerent, sed contrà vt eædem prorsus permanentes inde exhiberetur nobis ille θεάνθρωπος Dominus Iesus vnicus noster Seruator ἀδιαιρέτως, ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως. Si valeret istorũ commentum, quomodo Christum describeremus à suis partibus, nempe Christum esse Deitatem τοῦ λόγου, & Humanitatẽ illam assumptam. Quàm stultè id verò & quàm ineptè? Nec enim concretas voces posse Abstractis definiri ipsa earum natura patiatur: sed aut totum Abstractum partibus abstractis, aut totum Concretum partibus Concretis necessariò describendum est. Itaque non Christus, sed Christitas, vt ita loquar post Damascenum, illo modo fuerit definienda. Nec humanitatem sed hominem rectè definieris anima humana & corpore humano. Sciat igitur D. Andreas in primis per communia nomina, non Humanitatem & Deitatem sed Deum τὸν λόγον videlicet & Hominem illum intelligi. Quam distinctio-

nem, non argutam non ſubtilem, ſed in communi homin um ſenſu natam, ſi non intelligit, nec intelligere vult, quid ad nos? Qui ſordeſcit, ſordeſcat adhuc. Diſcat etiam iſtud hac locutione, *Communia Dei & Hominis nomina fieri*, minimè inane aliquid, ſed quod ipſam incarnati Filij Dei ſuppoſitationem neceſſariò conſequitur, (vt in ſcholis loquuntur) ſignificari: ſicut ex generatione ſequitur generatum. Quoniam enim hæc natura humana ad ſingulare nondum conſtitutum, ſed conſtituendum indiuiduum determinata hoc nacta eſt, vt non in ſua ſpecie, ſed in illam aſſumente Filij Dei perſona ſubſiſteret, id eſt Actu Homo exiſteret, idcirco Filius ille Dei non quidem eſſentia ſua diuina, nec ſimpliciter & per ſe eſt ſecunda Trinitatis perſona, ſed quatenus huc vſque ſe demiſit, vt illi in ſeſe ſubſiſtentiam daret, verè factus dicitur Homo: & hæc humana natura per hanc aſſumptionem facta & Homo & Deus, vtpote in Filij Dei perſona ſubſiſtens. Hoccine verò eſt imaginarium quippiam nomine τοῦ λόγου vel hominis illius intelligere? Hoccine eſt, humanam naturam dicere nihil accipere à Filij Dei perſona, in qua tamen vna ſubſiſtat? Hoccine eſt dicere iſta enuntiata, *Deus eſt Homo*, & *Homo eſt Deus*, eſſe quaſdam loquendi formulas quibus res ipſa non ſubſit? Hoccine eſt dicere, in hac propoſitione *Homo eſt Deus*, vocabulo Hominis non ſignificari verum hominem, ſed Filium Dei qui ſuſtentat humanam naturam? In quibus verbis rogo vos omnes, Chriſtiani lectores, etiam atque etiam, vt quæ ſit iſtius hominis, omnibus Germanicis Eccleſiis auſi fidei regulam præſcribere, craſſiſſima in iſtis myſteriis inſcitia, perpendatis, vt tandem aliquando ſchola tota Tubingenſis receptis oculis animaduertat, quantum quámque pernitioſum errorem, ſi non malitioſè, ignorāter ſaltē foueat. Quis enim ignorat hāc propriam hypoſtaticæ vnitionis formam eſſentialem eſſe, quòd in ea Filius ille Dei æternus, iſtud humanæ illi aſſumptæ naturæ ſingulare & ineffabile beneficium præſtiterit, vt, licet ex Adami, Abrahami, Dauidis, Mariæ materia, quod ad corpus attinet, excerpta fieret Actu Homo, non in ipſa ſpecie Hominis (ſic enim diuideretur Perſona, aut ex duabus perſonis conflaretur) ſed in ipſo Filio Dei fieret vnicum cum illo ὑφιστάμενον: hic iſtam humanæ naturæ ſuſtentationem non intelligens, vt qui alicubi ſcripſerit, *res omnes à Deo ſubſtantialiter ſuſtentari*, quo poſito neceſſariò conſequeretur res omnes eſſe ſubſiſtentialiter Deos, inde colligit hunc Hominem ſic aboleri, & in Filium Dei tranſmutari, quum tamen è cōtrario propterea demum Filij Dei appellatione, non tantùm ὁ λόγος verus

Deus,

Deus, verùm etiam Homo iſte intelligatur, vt iam Filius Hominis & Filius Dei ſit vnicus ille Dei Filius. Et de Dei quidem & Hominis nominibus hactenus dictum eſto. Nunc ad illa nomina ſiue attributa venio, quæ de λόγῳ & de Homine illo propriè prædicãtur, quæ & ipſa quum mutuam περιχώρησιν, id eſt reciprocam prædicationem neceſſariò prorſus, vti ſæpe iam diximus recipiãt, communia quoque ſic fieri dicũtur, vt ipſæ naturæ inter ſe vniuntur. Nam de quo Deus verè dicitur, de eo quoque verè dicitur Homo, de illo itidem verè quæcunque Hominis ſunt prædicantur, ea quidem ratione qua Deus ille eſt Homo, & Homo ille eſt Deus. Subtilis autem noſter diſputator veritus, vt alibi diximus, Hominem Chriſtum dicere æternum, principio carẽtem, incorporeum, infinitum, & nihilominùs Omnipotẽtem & Omnipræſentem appellans, negat à nobis communia hæc nomina fieri, quum hanc enuntiationem, Deus eſt paſsus, ad Humanitatem: & iſtam Homo eſt Omnipotens, ad Diuinitatem reſtringimus: Hoc, inquit, eſt Neſtorianũ, quòd negaret Neſtorius Deum eſse paſsum: & nequid ad calumniam vel ad prodendam inſcitiam deeſſet, fingit noſtram hanc eſſe interpretationem, Deus, id eſt Humanitas Deitati vnita, eſt paſſa, & Deus, id eſt Deitas humanitati vnita eſt Omnipotens. Atqui non ita eſt. Nam humanitati quidem paſſibilitas: Homini verò, id eſt ea humanitate prædito tribuitur paſſio. Et quanuis, vt antè ſuo loco monuimus, Deitas & Deus nequaquam differant, vt Humanitas & homo, tamen aliquis eſt etiam huic conſiderationi locus, qua fit vt Deitati quidem omnipotentia tribuatur, Perſonæ verò Deitatis Omnipotentes vocentur, ideóque non omnipotentia omnipotentiam, ſed omnipotens omnipotentem, vt nec Deitas Deitatem, ſed Deus Deum ſine eſſentiæ multiplicatione genuiſse, & Deus à Deo procedere dicatur. Sic falſiſſima eſt interpretatio quæ nobis calumnioſè affingitur. Nec enim hanc enuntiationem interpretantes Deus eſt paſſus, dicimus Humanitatem illi vnitam eſſe paſſam: ſed Deum, nempe τὸν λόγον paſſum eſſe in carne, id eſt, non quatenus Deus eſt, ſed quatenus vna eſt cum illo Homine Perſona, quum per hypoſtaticam vnionem, non factus ſit paſſibilis λόγος, quatenus eſt λόγος ſed quatenus hunc Hominem ſibi καθ' ὑπόστασιν vniuit. Ac proinde non eſt paſſus ὁ λόγος in illo Homine, vt in ſanctis hominibus, ſed vt in ſeipſo, quũ ita ſit in Chriſti perſona Aliud & aliud, nempe Deitas & Humanitas, vt tamen non ſit Alius & Alius, vt Neſtorium, contrà quàm D. Andreas exiſtimat, docuiſſe oſtendimus. Nec alia eſt explicatio

alterius propoſitionis, Homo eſt Omnipotens. Immò etiam in his omnibus ſine vlla exceptione, Homo eſt æternus, immenſus, incorporeus, quibus locutionibus non ſimpliciter diuerſæ naturæ, ſed Perſonæ, quamuis ſecundum alteram naturam iſta prædicata attribuuntur. Quamobrem etiam ſæpiùs inculcauimus in iſtarum enuntiationum ſubiectis per ἀντίδοσιν ſiue κοινωνίαν ἰδιωμάτων, neque Dei appellatione ſimpliciter τὸν λόγον, neque Hominis vocabulo ſimpliciter hunc Hominem ſed totam Chriſti perſonam σωλικῶς intelligi.

Dog. II. Theolog. Vvirtemb.

Quòd omnis poteſtas in cœlo & in terra, quæ Chriſto in tempore data eſt, data ſit perſonæ ſaluatoris ſecundum VTRAMQVE *naturam. Et quòd Chriſto ſecundum* DIVINAM *ſuam naturam in reſurrectione & aſcenſione ad cœlos, iterum* RESTITVTA *fuerit omnis poteſtas in cœlo & in terra: perinde quaſi dum in ſtatu humiliationis erat, eam poteſtatem etiam ſecundum diuinitatem depoſuiſſet & exuiſſet. Hoc dogma Arrianiſmum ſapit: quia talem in Chriſto diuinitatem ſtatuit, quæ patiatur incrementum & decrementum: quum veræ diuinitati nihil addi, nec detrahi poßit.*

Reſponſio. II. Th. Bezæ.

1. Extant ſcripta, quibus permoti quidam, hominis Chriſti diuinitatem negarunt.

Neſcimus, an quiſquam ita inſaniuerit, vt exiſtimarit περὶ λόγῳ aliquid[1] in ſeſe deceſſiſſe, cùm carnem aſſumeret, & rurſum acceſſiſſe: cùm illa caro, peracto noſtræ redemptionis Miniſterio, in illam ſuam gloriam, ſupra omne nomen eueheretur. Sed hoc quidem docemus Paulum ſecuti, τὸν λόγον non in ſeſe, ſed quatenus quaſi latêre, diſſimulata ſua ad tempus gloria, ſuſtinuit, (quodammodo) ſeſe exinaniuiſſe: ſicuti rurſus, cùm illa caro plenè glorificaretur, nō in ſeſe, ſed in illa (quodammodo) gloriam illam ſuam priorem recepit, quam etiam à patre poſtulauit, Ioan. 17. 5.

Reſponſio ad margin. refutationem.

Neminem noſtrum de exinanitione τοῦ λόγου ita ſcripſiſſe mihi perſuaſerit D. Andreas, vt Diuinitatis Chriſti negandæ vel leuiſſimam occaſionem arripere, inde quiſquam potuerit. Sin verò ſic acci-

accidit, non ſumus certè ipſa Dei Sapientia cautiores ex cuius verbis, quum diceret, Pater maior me eſt, notum eſt quas tragœdias Arriani excitarint: quo etiam erroris Spiritu ductos hodie videmus Tranſſubſtantiatores & Conſubſtantiatores, ex planis & perſpicuis inſtitutionis Cœnæ verbis, ſi ad analogiam fidei reuocentur, humana diuináque omnia permiſcere. Viderit autem D. Andreas, an nō potiùs ex D. Brentij & ipſius ſcriptis arrepta ſit à multis occaſio negandæ Chriſti verę Deitatis, vt qui hoc vnum diſcrimen, Deitatis Chriſti & Petri eſſe ſcripſerint, quòd Deus nonnullas tantùm proprietates in Petrum: in Chriſtum verò omnes effuderit, & Chriſto cum omnibus hoc eſſe commune, quòd Deus Perſonaliter cum ipſo ſeſe vniuerit, quocunque tandem fuco nunc iſtas blaſphemias illinant.

Dog. III. Theol. Vvirt.

Quòd TOTA *perſona Chriſti, ſecundum* VTRAMQVE *naturam, officij reſpectu, maneat* SVB DIVINITATE. *Et hoc Arrianiſmum redolet. Chriſto enim talis diuinitas tribuitur, quæ ſit* SVB DIVINITATE: *cuiuſcunque tandem reſpectu id fiat.*

Reſponſio. III. Th. Bezæ.

Mediatoris officium docemus, & toti Chriſto & toti Chriſti competere: ſed vt naturis, ita etiam earum operationibus [1]diſtinctis. Humanitas igitur ſemper infra τὸν λόγον ſubſedit, & adhuc ſubſidet, quantumuis glorificata. Ὁ λόγος verò (etſi quatenus redemptor, medius eſt inter Eccleſiam & Patrem, cui nos ſuo ſanguine acquiſiuit, & cuius Eccleſiæ caput eſt) non eſt propterea Deus ὁμωνύμως, vel patris perſona inferior.

1. Per diſtinctas intelligit ſeorſim agentes, ſine omni communicatione: quod falſum eſt. Nihil reſpōdet ad Theſin.

Reſponſio ad marginalem refutationem.

Meliùs ſcilicet nouit D. Andreas quæ ſit mens noſtra, quàm nos ipſi. Num & ipſe fortaſis Omniſcius & καρδιογνώστης? Sed certè ne ſciens quidem videri poteſt, qui inter diſtinctionem & ſeparationem quod ſit diſcrimen ignorat. Quaſi verò hominem diſſoluat, qui corpus & corporis actiones proprias, ab anima & propriis eius actionibus diſtinguit: & vnicam Deitatis eſsētiam in partes ſecet, qui Diuinitatis perſonas ſuis propriis notionibus diſtinguit,

& qui in Trinitatis operationibus ad extra, vt in ſcholis loquũtur, communibus, ſua tamen cuique perſonæ attribuit.

Dog. IIII. Vvirt.

Chriſtum ſecundum humanitatem, omnipotentiæ, aliarúmque proprietatum diuinæ naturæ, prorſus non eſſe capacem, eúmque (ſecundum humanam naturam) cum omnipotentia Dei nullam habere communicationem: ſed habere mediam inter diuinam atque Angelorum & hominum poteſtatem.

Reſp. IIII. Th. Bezæ.

Humanitatem Chriſti, vt ſubiectum ſemper Deitate inferius, affirmamus ſine blaſphemia exæquari non poſſe, ſiue θεότητα ſiue [1] ἐξουσίαν, τῷ λόγῳ, à quo aſsumpta eſt, quod & res ipſa indicat. Et Paulus 1. Cor. 15. diſertè exprimit, de huius regni poteſtate diſſerens, cùm ait: illum excipi, qui filio omnia ſubiecit. Eſt autem ipſe λόγος, etſi perſonâ diſtinctus à patre, & officio medius inter patrem & Eccleſiam, tamẽ ſecundum eſsentiam vnus cum patre: & quatenus filius, patri ſuo æqualis.

1. ἐξουσία nõ abſolutam Dei potẽtiam (quæ ipſa Deitatis οὐσία eſt) ſed eius participationem ſignificat.

Reſponſio ad marginalem refutationem.

Si participata, ergo creata qualitas: Qua ratione patres Chriſtum rectè ſeipſo maiorem & Minorem dixerunt.

Dog. V. Vvirt.

Quod aſſeritur, Chriſto ſecundum ſpiritum ſuum humanum, certos limites poſitos eſſe, quantum videlicet ipſum ſcire oporteat, & quòd non plus ſciat quàm ipſi conueniat, & ad executionem ſui officij, iudicis nimirum, neceſsariò requiratur. Et Chriſtum ne hodie quidem habere perfectam cognitionem Dei, & omnium ipſius operum. Et Chriſto impoſsibile eſse, humano ſuo ſpiritu nouiſse, quicquid ab æterno fuerit, quid iam nunc vbique fiat, & quid in omnem æternitatem ſit futurum.

Reſp. V. Th. B.

Reſpondit antea vobis 1 Lutherus, loco ſuprà citato, Chriſtum hominẽ (id eſt, ſecundum hominem) tantum potuiſse & ſciuiſſe, quantum voluit λόγος ipſum & poſse & ſcire. Et certè agnoſcere nos oportet, Chriſtum hominẽ omnia ſciuiſse, & ſcire ſine vlla mutatione

1. Lutherus nihil minus voluit docere: ideo locus inſpiciatur, & accuratè examinetur.

tatione, ſecundum Diuinitatem ſuam: tempore autem humilitatis ſuæ, ſecundum humanitatẽ ſuam multa ignoraſſe, propter nos: [2] quorum tamen in gloria ſua nihil eſt ipſi ignotum.

2. Non tamen apertè aſſerere volunt, vel audent, quòd omnia ſciat.

Reſponſio ad marginales Annotationes.

De Spiritus Diuini, ac in primis ſcientiæ & ſapientiæ donis in illam puriſſimam & inenarrabiliter benedictam animam Chriſti, opulentiſſimè effuſis, tum in huius caducæ vitæ curriculo, tum in illa ineffabili gloria, Omnimaieſtatici Doctores quandiu & quantùm volent, diſputent. Nos ne nunc quidem vnam & eandem eſſe τῷ λόγῳ vel naturam vel proprietatem vllam eſſentialem & illius hominis quantumuis glorificati qualitates, quæ ſunt illarum effecta, & quæ, etſi malumus adorare quàm ſcrutari, tamen quum creata ſint, & finitæ Humanitati inſint, finita eſſe neceſſe eſt, ideóque blaſphemam & intolerabilem eſſe dicimus, exæquationem quam ex Eutychetis lacunis hauſit D. Brentius, ſcripſit, & nunc Eccleſiis propinat D. Andreas. Hominem autem illum Omnipræſentem, Omniſcientem, quicquid denique Deus eſt ſine exceptione eſſe, quînam negaremus qui Deum verum illum eſſe profitemur, at non in ſeſe, nec etiam vlla reali proprietate extra ſe, ſed quia Hominis appellatione Perſona quoque tota vt vnum ὑφιστάμενον conſiderata intelligitur. Et D. quidem Lutherus (quod fatebitur quiſquis citatum à me illius locum inſpexerit) apertè nobiſcum facit, contrarium dogma, non tantũ vt falſum ſed etiam vt ridiculum reprehendens. Sed ne hîc quidem ſatis cautè, vt nunc ſunt tempora, loquutus eſt. Eſt enim longè aliud Chriſti Humanitatem facere, vel Eſſentiali Omnipotentia Dei Omnipotentem, vel Omniſcientia, Omniſcientem, vel Omnipræſentia Omnipræſentem, quæ planè ſunt deteſtanda, quàm hunc Hominem, quatenus videlicet ita tota Perſona ſignificatur σωμάτως, non autem diſtinctè ſecundum ſui totum conſiderata, quod negare nemo poteſt quin Perſonam diſſoluat. Vt autem quæ fuerit Lutheri ſententia, intelligatur, hæc etiam ipſius verba velim à D. Andrea ſine præiudicio conſiderari, vt quo duce, in alia diuerticula, (non tamen in iſtud Omnimaieſtaticum) aberrauit, in viam veritatis, ſi fieri poteſt in hoc argumento reuocetur. *Non eſt*, inquit, *figmentum quod ait Lucas, Corroborabatur Spiritu, ſed vt verba ſonant ita ſimpliciſſimè quoque res euenit, vt quantùm acceßit etatis, tantùm & magnitudinis, quã-*

1. & 2.

tùm verò magnitudinis, tantum & rationis, vtque ratione auctior, ità & Spiritu euaſit robuſtior & ſapientia plenior coram Deo in ſeipſo & coràm hominibus: neque hæc verba opus habent alia gloſſa, ſed hæc huius loci naturalis intelligentia, & ſine periculo & Chriſtiana eſt. Et mox: Quum ſit ita comparatum vt omnes homines augeantur corpore, ratione, Spiritu & ſapientia, neque ſit qui aliter ſe habeat, voluit Lucas hic de Chriſto illud prædicare, quod Paulus ſcripſit Philip. 2. Chriſtum ſe inaniuiſſe &c. nempe Chriſtum ad eundem modum ſe habuiſſe, & cum tempore etiam aliarum rerum incrementa accepiſſe, ſed accepiſſe præſtantiùs aliis, eo quòd ingenio fuerit nobilior, & diuinis dotibus opulentiùs aliis ornatus. Hoc pacto nihil erit difficile in verbis Lucæ, modò arceantur argumentorum iſtorum ſubtiles nugæ.

Dog. VI. Theol. Vvirtemb.

Quòd Chriſto impoſſibile ſit, propter humanæ naturæ propritetatem, vt ſimul eodémque tempore IN PLVRIBVS, *nedum in omnibus locis ſuo cum corpore eſſe poſſit. Et Chriſto, poſtquam nos paſſione & morte ſua redemerit, ſecundum humanitatem ſuam nihil amplius nobiſcum eſſe negotij.*

Reſponſio VI. Th. Bezæ.

1. Multipræſentiam & omnipræſentiam reiiciunt apertis verbis.

Priorem huius Articuli partem aſſerimus, poſteriorem abominamur.

Reſponſio ad marginalem annotationem.

Veſtram quidem eſſentialem, ſiue Omnipræſentiam, ſiue multipræſentiam corporis Chriſti in terris, vt prodigioſum mõſtrum, quo fidei Chriſtianæ fundamentum conuellitur, & Marcionis ſpectrum in throno Dei ſtabilitur, & verbis & corde repudiamus. Veram autem illius & efficaciſſimam carnis etiam ipſius Chriſti, qua ſeſe Spiritualiter & efficaciſſimè credentium animis ſine vllà loci mutatione per fidem ſpiritualiter ſpectandum, apprehendendum, fruendum, tum in Verbi, tum in Sacramentorum, ac præcipuè cœnæ Dominicæ adminiſtratione præbet, non modò non negamus, ſed fortiter contra omnes aduerſarios, vt ſolam veram, tuemur.

Dog. VII. Theol. Vvirt.

Quòd docetur, carni Chriſti vim & virtutem viuificandi aliam non tribuendam, niſi quatenus Chriſtus paſſione ſua in carne nos redemerit.

Reſpon-

Resp. VII. Th. Bezæ.

'Falsò quidem in nos istud dictum fuerit, vt apparet ex nostro responso ad 15. Thesin superiorem. 1. Dissimulatio erroris.

Responsio ad marginalem refutationem.

Immò sic repetit D. Andreas rancidam calumniam: Additur enim in Thes. 15. (quod veteratoriè D. Andreas præterit,) nempe viuificam etiam esse & dici, quia nonnisi huius carnis Spiritualiter nobis per fidem communicatæ interuentu, vitam illam æternam ex Christo Deo & Homine nanciscimur.

Dog. VIII. Theolog. Vvirt.

Quòd is, qui ad ipsam Christi carnem, suam adorationem aut inuocationem dirigit (etiam in illa vnione personæ manentem) ex ipsius Dei ore sit maledictus, Christum enim esse CONSERVVM *nostrum, (quasi verò non sit Dominus gloriæ) ideóque eum esse Idololatram, et in Deum blasphemum, qui Christi carnem etiam glorificatam, et in vnione personæ manentem, adoret, etc.*

Iacobus Andreæ D.
Lucas Osiander.

Responsio VIII. Th. Bezæ.

'Respondimus quoque ad illud immeritò nobis obiectum, (si in nos hæc dicuntur) ad Thesin 20. 1. De Danæo dicuntur, cuius formalia verba hîc recitata, & alias sæpe repetita sunt.

Mompelgarti 24. Martij, 1586.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Abrahamus Musculus, Bernensis Ecclesiæ Minister.
Antonius Faius, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Claudius Alberius D. Professor Philosophiæ in Academia Lausannensi.
Petrus Hubnerus, Græcæ linguæ in Gymnasio Bernensi pub. Professor.

Responsio ad marginalem refutationem.

Danæum virum doctissimum & fortem veritatis aduersus D. Andream in hoc etiam argumento propugnatorem idcirco nolui in hac disputatione tanquam reum produci, non modo quòd ab

absente nullum haberem mandatum, sed etiam quòd illum in optima causa patrocinio meo minimè indigere scirem. Quid enim hac de re sentiat nouimus in hac Geneuensi Ecclesia, in qua fideliter sanam doctrinam & loquens & scribens aliquot annis proposuit, donec Lugdunensi Batauorum scholæ illum summis precibus euocanti concedere cogeremur. Nihil esse verò tam bene nec tam commodè dictum, quod non detorqueri aliò possit, ipsi quoque quotidie experimur. Certè quod hîc in ipsum dicitur, inscitiam quoque D. Andreæ prodit. Quod enim Christus Dominus gloriæ dicitur ab Apostolo, non carnis quantúuis gloriosæ, sed æternæ Deitatis ipsius respecta dicitur: nec quicquam obstat quominus, qui etiam quatenus homo est rebus omnibus creatis dominatur, maneat tamen semper in hac carne infra eum qui subiecit ei omnia: quo sensu vt sæpe iam diximus seipso quoque minor à Patribus vocatur, cui vt inquit August. naturam non abstulit gloria. Est tamen, fateor, durum conserui nomen: sed tamen serui formam antea ostendimus ex August. Christi carni etiam quum mundum glorioſissimus iudicabit attribui. Nec vnquam negauit Danæus carnem quoque Christi adorandam esse: at non simpliciter quatenus caro est, esset enim hoc, vt inquit Cyrillus nō semel, mera idololatria, sed quatenus propria est Christi caro: quod quum expressissimè tot locis patres docuerint, & Scholastici quoque latriâ vni Deitati (licet ab Humanitate minimè separatæ, vindicent: & Danæus ipse plenissimè D. Andreæ responderit, causa nulla est cur actum agamus. Superest igitur quod ad hunc locum attinet, vt ea subiiciamus quæ ex tota disputatione collecta & ad D. Collocutores missa, vt quibus de rebus inter nos conueniret, itidémque non conueniret, omnes intelligerent, remittenda tamen nobis postride censuerunt: Rectè-ne verò an secus illa fuerint à nobis ex mutua theseων & antitheseων & vtrinque disputatis excerpta, penes lectores iudicium esto.

IN

IN SECVNDA DISPVTATIONE

inter eosdem actum est de persona Christi, siue de hypostatica vnione & eius effectis, in qua vtrinque consensum est:

I. *Quòd in hypostatica vnione duæ perfectæ naturæ, nempe Diuina τῷ λόγῳ & humana ex Virginis Mariæ Substantia per omnipotentiam Diuinam creata & assumta, salua vnà cum omnibus suis proprietatibus essentialibus, citra vllam mutationem, confusionem & permixtionem permanserint.*

II. *Quòd hac vnitione constituatur vnum ὑφιστάμενον siue vnica persona. Nec enim hanc humanam naturam priùs creatam fuisse, aut per se subsitisse, sed simul & eodem momento fuisse creatam & assumtam: & subsistentiam, quæ iam non sit duplex, à λόγῳ assumente accepisse.*

III. *Illam Vnitatem personæ perpetuam esse & penitus in æternum indissolubilem, qua factum sit, vt ὁ λόγος sit in æternum Verus ille homo, ex Maria Virgine assumtus, & vicissim ille homo ex Maria Virgine assumtus in æternum sit verus ille Deus ὁ λόγος.*

IV. *In hac Vnione hypostatica naturam Diuinam assumentem, longè excellere supra naturam assumtam, vt pote quæ creata sit, & in λόγῳ subsistentiam habeat, cùm illa Diuina sit creatrix, & illi assumtæ naturæ, subsistentiam præbeat, quamuis vnica illa vnitione & ὁ λόγος illi homini, & homo ille τῷ λόγῳ sit vnitus.*

V. *Hominem illum, præterquam quòd est Deus, per istam Vnitionem dona sibi infusa nobis ineffabilia, & quantacunque in rem vllam creatã Diuinitus inseri possunt, percepisse, adeo vt supra etiam omnes angelos beatos hac quoque ratione (quæ gratia habitualis dicitur) sit euectus.*

VI. *Communicatione ἰδιωμάτων siue proprietatum essentialium non intelligi aliquam illarum immigrationem, siue à natura Diuina in humanam, siue ab humana in Diuinam.*

VII. *Hæc enunciata, quibus vel humanæ proprietates τῷ λόγῳ, vt cùm dicimus, Deum esse crucifixum, vel diuinæ proprietates homini attribuuntur, vt cùm dicitur homo ille, in terris cum Nicodemo loquens, fuisse simul in cœlis, non esse vana & nomine tenus sine re intelligenda, sed verè & reipsa de persona illa Christi, quatenus vnica est, prædicari: ac proinde in illis Deum intelligi non simpliciter vt Deum, sed Deum incarnatum, & vicissim hominem illum non simpliciter vt hominem, sed vt hominem θεωθέντα, id est vt sic loquamur, deificatum, siue à Verbo in Vnitatem personæ assumtum.*

IN HOC AVTEM CONSENSVM NON EST.

I. *Quòd R. D. collocutores Virtembergenſes hanc communicationẽ cenſent eſſe ſtatuendam vt vnionis hypoſtaticæ effectum, & locum habere tam in abſtracta humanitatis, quàm in concreta hominis appellatione: ac proinde tam verè ac realiter humanitatem illam per hypoſtaticam Vnionem dici Omnipræſentem, Omniſcientem, Omnipotentem, Viuificatricem & adorandam, quàm illa omnia de homine illo aſſunto dicuntur.*

Alterius autem partis collocutores docent, ſicut, etiam in hypoſtatica Vnione, non rectè dicitur humanitas eſſe Deitas, verè autem dicitur homo ille eſſe Deus: ita rectè dici non poſſe, etiam in ipſa Vnione, humanitatem illam Omnipræſentem, Omniſciam, Omnipotentem, Viuificatricem, adorãdam &c. quamuis verè dicatur homo ille propter Vnitatem perſonæ eſſe Omnipotens, Omniſcius, Omnipræſens, Viuificus & adorandus.

II. *Quòd R. D. collocutores Virtembergenſes nolunt reciprocari iſtam idiomatum communicationem, ideóque aſſerant non poſſe, nec debere dici Deitatem fuiſſe paſſam, crucifixam, &c. ſicut verè dicitur humanitas eſſe Omnipotens, Omniſcia, Omnipræſens: quoniam videlicet in hypoſtatica vnione Deitas nihil ab humanitate ſed humanitas à Deitate omnia ſibi communicata receperit.*

Alterius autem partis collocutores aſſerunt, ſicut in Concretis enunciatis per hypoſtaticam vnionẽ tam reciprocè dicitur Deus ὁ λόγος eſſe paſſus &c. quàm homo ille eſt Omnipotens &c. ita etiam quia non obſtante Deitatis aſſumentis præſtantia, vna & eadem ſit ac planè reciproca vnio, vna & eãdem ratione neutrum hoc enunciatum ſit verum: humanitas eſt Omnipræſens, Omnipotens &c. & Deitas eſt creata paſſa &c.

Eadẽ eſt explicatio de carnis viuificandi vi & adoratione, quæ R. D. collocutores Virtembergenſes ipſi quoque humanitati in abſtracto *attribuunt.*

*Alterius autem partis collocutores homini duntaxat in concreto iſta aſſignant: ſed præterea in abſtracto (*ſemper tamen vnitam*) humanitatem agnoſcunt, meritò dici duabus rationibus viuificam. Primum quia in ea humanitate ὁ λόγος omnia quæ ad noſtram reconciliationem pertinebant, adimpleuit, & per eam nunc quoque nos regit & ſeruat. Deinde quòd non niſi illius à nobis per fidem apprehenſa interuẽtu Chriſtus virtutem illam ſuæ Deitati propriam & ſaluificam, beneficia denique omnia ſua ſuis membris communicat.* Sic etiam ab adoratione Deitatis τοῦ λόγου minimè ſeparant alterius partis collocutores humanitatis adorationem: non tamen in ſeſe, nec abſolutè conſideratæ, ſed reſpecti-

pectiuè, id est, quia est Deo τῷ λόγῳ vnita, siue quia Christi Deitas, quæ proprium & absolutum est veræ adorationis obiectum, non est simpliciter Deitas, sed Deitas incarnata, & illa humanitas, non simpliciter humanitas, sed τοῦ λόγου humanitas.

Et de his quidem hactenus dictum esto. Quominus autem tria reliqua de Baptismo, Imaginibus & Prædestinatione capita, & ipsius habita inter nos collocutionis argumenta, sicut ab eo prout ipsi libuit, interpolata sunt, nunc quidem persequar, partim prohibeor temporis angustia, quod ad instantes nundinas supereſt: partim vetant occupationes meliores & Ecclesiis, vt spero, vtiliores futuræ: nostra quidem certè ætati & conditioni accommodatiores, in quibus quod mihi vitæ supereſſe Dominus volet, & prout mihi quietem concedet, consumere constitui. Bezam igitur lacessite, pungite, lancinate, lacerate quicunque, quotcunque, quomodocunque voletis, qui ex Ecclesiarum & Scholarum vastatione rem facitis, & ex vestri dissimilium insectatione nomen quæritis. Non ita insanit ille, vt erroris Spiritum compescere, & vanitatem, qua nihil esse loquacius verè scripsit August. coërcere se posse speret. Itaque semel hac postrema cura defunctus, solo vos ipse silentio vlciscetur. Deus autem ille Opt. Max. vel piis Principibus, & Rerumpublicarum sapientibus gubernatoribus, consilia, cohibendis ambitiosis & petulantibus ingeniis aptiora suggerens, vel alio quouis modo, Ecclesiæ suæ vulneribus tandem aliquando medebitur. Interea verò dum ad ista quæ supersunt absoluenda me comparo, vt omnibus aliquo iudicio præditis, & minimè contentiosis constet, quantum non nos, sed illi potiùs in doctrina de Prædestinatione à veritate aberrent, qui nos hodie, occasione ex hoc plausibili apud imperitum vulgus argumento arrepta tribunitiis suis clamoribus, & acerbissimis scriptis, quasi δυσφήμους & καταράτους insectantur, ipsi potiùs nostræ παλινῳδίας fundamentum manifestè subuertentes, & absurdissimis, atque adeò impiis erroribus aditum aperientes: visus sum mihi operæ pretium facturus, si, quod antea quoque feci, D. Lutheri, cuius nauos penè solos isti admirantur, veram & orthodoxam hac de re totam sententiam, non ardentiùs quàm solidiùs, sed proprio scripto aduersus Erasmum & Sophistas omnes, granissimè & copiosissimè explicatam, & tum ex Dei verbo, tum inuictis rationibus confirmatam, huic priori meæ responsionis parti subiicerem: ex cuius nimirum lectione paratiores saltem & æquiores lectores ad nostram audiendam defensionem accedant. Quod supereſt, testis est mihi Dominus in animam meam, etsi nullius à fundamento Orthodoxæ Christianæ fidei aberrantis dogmatis sum conscius, paratissimum tamen semper, per

ipsius gratiam, & fuisse me & esse, scriptorum omnium meorum rationem in omni legitimo Ecclesiastico conuentu reddere: &, sicubi ex Dei verbo fuerim edoctus aberrasse, non modo in errore nō perseuerare, sed etiam monitoribus gratiā habere & veram veritatem auidissimè vtrisque manibus amplecti. Quam verè legitimæ disceptationis conditionem si recusarint aduersary, satis superque, ni fallor, quo Spiritu ducantur, ostendunt.

EX LIBELLO D. LVTHERI DE SERVO ARBITRIO ADVERSVS Diatriben Erasmi. Tom. 2. Vvitebergensi.

De voluntate Dei tum occulta, tum manifestata.
Pag. 485. b.

CVR alii lege tanguntur, alij non tanguntur vt illi suscipiant, & hi contemnant gratiam oblatam alia quæstio est. Nec loco illo Ezech 18. tractatur, qui de prædicata, & oblata misericordia Dei loquitur: non de occulta illa & metuenda voluntate Dei, ordinantis suo consilio quos & quales prædicatæ, & oblatæ misericordiæ capaces, & pertinaces esse velit. Quæ Voluntas non requirenda, sed cum reuerentia adoranda est, vt secretum longè reuerendissimū Maiestatis Diuinæ, sibi soli reseruatum, ac nobis prohibitum, &c.

Et mox ibidem.

Aliter de Deo, vel voluntate Dei nobis prædicata, reuelata, oblata, culta, & aliter de Deo non prædicato, non reuelato, non oblato, non culto disputandum est. Quatenus igitur Deus sese abscondit, & ignorari à nobis vult, nihil ad nos. Hic verò valet illud, *quæ supra nos nihil ad nos.* Relinquendus est igitur Deus in Maiestate & natura sua. Sic enim nihil aliud cum illo habemus agere, nec sic voluit à nobis agi cum eo: sed quatenus indutus, & proditus est verbo suo, quo nobis sese obtulit, cum eo agimus, quòd est decor & gloria eius, &c.

Et mox Pag. 486. a.

Multa facit Deus, quæ verbo suo non ostēdit nobis: multa quoque vult, quæ verbo suo non ostendit se velle. Sic non vult mortē peccatoris, verbo scilicet: vult autem illam voluntate illa imperscrutabili. Verbo enim nos dirigi, non voluntate illa imperscrutabili

bili oportet. Atque adeò quis ſeſe dirigere queat ad Voluntatem prorſus inſcrutabilem, & incognoſcibilem? Satis eſt noſſe tantùm quod ſit quædam in Deo Voluntas imperſcrutabilis. Quid verò, cur, & quatenus illa velit, hoc prorſus non licet quærere, optare, curare, aut tangere: ſed tantùm timere & adorare. Igitur rectè dicitur, Si Deus non vult mortem peccatoris, noſtræ voluntati imputandum eſt quod perimus. Rectè, inquam, ſi de Deo prædicato dixeris. Nam ille vult omnes homines ſaluos fieri dum verbo ſalutis ad omnes venit, vitiúmque eſt voluntatis quæ non admittit eum: ſicut dicit Matth. 23. *Quoties volui egregare pullos tuos, & noluiſti?* Verum quare Maieſtas illa vitium hoc voluntatis noſtræ non tollit, aut mutat in omnibus, quum non ſit in poteſtate hominis: aut cur illud ei imputet, quum non poſſit homo eo carere, quærere non licet: ac ſi multum quæras, nunquam tamen inuenias, ſicut Paulus Rom. 9. dicit *Tu quis es qui reſpondeas Deo?*

Et rurſus pag. 487. a. b. Ad illud Matth. 23. Quoties volui.

Nos dicimus, vt iam antè diximus, de ſecreta illa voluntate Maieſtatis non eſſe diſputãdum, & temeritatem humanam (quæ perpetua peruerſitate, relictis neceſſariis illam ſemper impetit & tentat,) eſſe auocandam & retrahendam, ne occupet ſeſe ſcrutandis illis ſecretis Maieſtatis, quæ impoſſibile eſt attingere, vt quæ habitet lucem inacceſſibilem, teſte Paulo. Occupet verò ſeſe cum Deo incarnato, ſeu cum Ieſu crucifixo, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, ſed abſconditi: per hunc enim abundè habet quid ſcire, & non ſcire debeat. Deus igitur incarnatus hic loquitur, *volui & tu noluiſti.* Deus inquam, incarnatus, in hoc mundo miſſus eſt, vt velit, loquatur, faciat, patiatur, offerat omnibus omnia quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria: licet plurimos offendat qui ſecreta illa voluntate Maieſtatis, vel relicti, vel indurati, non ſuſcipiunt volentem, loquentem, facientem & offerentem: ſicut Ioan. dicit, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehendunt.* Et iterum, *In propria venit & ſui eum non receperunt.* Huius itidem Dei incarnati eſt flere, deplorare & gemere ſuper perditionem impiorum: quum voluntas Maieſtatis ex propoſito aliquos relinquat, & reprobet, vt pereant. Nec nobis quærendum cur ita faciat, ſed reuerendus Deus qui talia & poſſit & velit.

Et paulò poſt, p. 487. b.

Dicet hic ratio naſuta, pulchrè inuentum effugium: vt quoties vi argumentorum vrgeamur, ad voluntatem illam metuendam recurramus, & diſputatorem vbi moleſtus fuerit, ad ſilentium adi-

gamus. Respondemus non esse nostrum inuentum, sed diuinum scripturis firmatum præceptum Sic Paul. Rom. 9. *Quid igitur quæritur? Quis voluntati eius resistet? O homo tu quis es qui contendas cum Deo? An non habet potestatem figulus, &c.* Et Esa. 58. *Me de die in diem quærunt & vias meas scire volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit. Rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volunt.*

Puto his verbis satis monstrari, non licere hominibus scrutari voluntatem Maiestatis. deinde causa est huiusmodi vt in illa maximè petant peruersi homines, voluntatem illam metuendam. Ideo maximè locus est eos ad silentium & reuerentiam hortandi. In aliis causis non ita facimus, vbi talia tractantur quorum ratio reddi potest, & reddi nobis mandata est: quod si quis pergat scrutari rationem voluntatis illius, nec nostræ monitioni cedit, huc sinimus ire, & Gigantum more cum Deo pugnare: spectaturi quos triumphos sit reportaturus, certi quod causæ nostræ nihil sit detracturus, & suæ nihil collaturus.

Et pag. 488. a.

Videntur verba illa coniunctiua *(si volueris, si vis, si quis vult, si dilexeritis, si manseritis, etc.)* propter Prædestinationem Dei sic poni, vt incognitam nobis: & illam inuoluere, acsi hoc velint dicere, *Si vis, si volueris.* Hoc est si talis fueris apud Deum vt voluntate hac te dignetur, seruandi præcepta, seruaberis. Quo tropo datur intelligi & nos nihil posse, & siquid facimus, Deum in nobis operari.

Et pag. 489. b.

Quid si hîc ratio nasum ruget, & dicat, Cur Deus ista, nimirum hortari, consolari & excitari erigique ad pergendum fideles, promissione mercedis: & terreri ac deiici minis impios vt desinant à malis, ne inflentur, aut insolescat in peccatis, &c. Cur ista, inquam, Deus velit per verba fieri, quum talibus verbis nihil efficiat: neque voluntas in vtram partem sese vertere possit, sed totum pendeat à virtute & opere Spiritus sancti, qui etiam sine verbo ista omnia posset facere? Dicemus, Sic placitum est ipsi Deo, vt non sine verbo, sed per verbum tribuat spiritum, vt nos habeat suos cooperatores, dum foris sonamus quod intus ipse solus spirat, vbi vbi voluerit, quæ tamen absque verbo facere posset, sed nō vult. Iam qui sumus nos vt voluntatis diuinæ causam quæramus? Satis est nosse quòd Deus ita velit, & hanc voluntatem reuereri, diligere, & adorare decet coërcita rationis temeritate. Nam & Christus Matth. 11. nullam aliam rationem adfert cur sapientibus abscondatur Euangelium, paruulis reueletur, quàm quòd sic placuit Patri.

De dicto Moſis. Ego indurabo cor Pharaonis, ex 9. pag.492.a.

Nobis non eſt ſatis ſi dixeris, poteſt hîc tropus eſse : ſed quæritur an debeat & oporteat tropum hîc eſse. Quod ſi non monſtraris neceſsariò ineſse tropũ, nihil prorſus effeceris, ſtat ibi verbum Dei, *Ego indurabo cor Pharaonis* : ſi dixeris ſic accipiendum eſse, vel ſic accipi poſse, Ego permittam indurari. Audio quidem ſic accipi poſse : audio hunc tropum populari ſermone vulgatum, vt ego perdidi, quia non ſtatim correxi errantem : ſed non eſt illi probationi locus. Non quæritur an tropus ille ſit in vſu : non item quæritur an aliquis poſſit eum hoc loco Pauli vſurpare: ſed hoc quæritur, An tutum ac certum ſit, rectè hoc loco vſurpari, & an Paulus velit eo vti? Non de alieno lectoris vſu, ſed de ipſius authoris Pauli vſu quæritur. Quid facies conſcientiæ ſic quærenti? Ecce Deus autor dicit, Indurabo cor Pharaonis. aperta & nota eſt ſignificatio verbi indurare: homo verò lector dicit mihi, Indurare hoc loco eſt indurandi occaſionem dare, dum non ſtatim corrigitur peccator: qua autoritate, quo conſilio, qua neceſſitate vocis illa naturalis ſignificatio mihi ſic torquetur? Quid ſi erret lector, & interpres, vnde probatur illam torturam verbi hoc loco fieri debere? Periculoſum imò impium eſt verbum Dei ſine neceſſitate, ſine authoritate torquere. An huic animulæ laboranti ſic conſules? Origenes ſic ſenſit, aut ſic: deſine talia ſcrutari, quum ſint curioſa. At illa reſpondebit hoc, Moſem, & Paulum admoneri oportuerat antequam ſcriberent, atque adeò ipſum Deum: vt quid nos curioſis & ſuperuacaneis ſcriptis diuexant?

Et mox.

Sic opinanti etiam conſentiente omnium ſeculorum induſtria, nihil credimus, ſed pergimus & vrgemus tropum hîc nullum eſſe poſſe : ſimpliciter verò vt ſonant verba ſermonem Dei eſſe accipiendum. Neque enim noſtri arbitrij eſt, verba Dei fingere & refingere pro libidine noſtra, &c.

Et pag 492.b.

Et vt vno verbo dicam, illuc redit licentia iſta interpretandi, vt noua & inaudita grammatica omnia confundantur : vt quum Deus dicit *indurabo cor Pharaonis*, mutatis perſonis ſic accipias, Pharao indurat ſeſe mea lenitate : Deus indurat cor noſtrum, id eſt, nos ipſi indurauimus nos Deo pœnas differente. Item, *Tu Domine errare nos feciſti*, id eſt, nos errare fecimus nos-ipſos, te non caſtigante. Ita Deum miſereri iam non ſignificat donare gratiam, aut

exhibere miſericordiam, remittere peccatum, iuſtificare, aut malis liberare: ſed contra ſignificat inferre malum, & caſtigare, &c.

Et pag. 493.

Euincit igitur textus Moſis tropos eſſe fictos & nihili hoc loco, longéque aliud & maius quiddam vltrà beneficentiam, afflictionem, & caſtigationem ſignificari illis verbis, *Ego indurabo &c.* Quæ enim ira & caſtigatio inſtantior quàm dum tot plagis percutit? vt non ſemel velut reſipiſcens illis Pharao moueatur, ſed non permouetur nec perſeuerat. Quæ etiam lenitas largior? quàm dum tam facilè tollit plagas, toties reducit bona, toties aufert mala? vtraque tamen nihil faciunt, adhuc dicit, *indurabo*. Adhuc ſtat induratio & aliam eſſe neceſſe eſt quàm tu ſomnias.

Et paulo poſt.

Sed fingamus valere tropum hoc loco, viſuri quomodo elabatur, ne affirmare cogatur ſolius Dei voluntate, noſtra verò neceſſitate omnia fieri: & quomodo excuſet Deum ne ipſe ſit auctor & cauſa noſtræ indurationis. Si enim verum eſt quod tunc indurare Deus dicitur, quum lenitate ſua tolerat, nec ſtatim punit: vtrumque adhuc perſtat. Nihilominus enim homo ſeruit peccato neceſſariò, nec liberum arbitrium fit melius lenitate tolerantis Dei, ſed neceſſariò peius, niſi addatur ei Spiritus miſerante Deo. Et æquè Deus crudelis eſſe videtur tolerãdo per lenitatem homines, atque à nobis prædicari putatur, quòd indurat volendo, voluntate illa imperſcrutabili. Videbitur enim hac lenitate crudeliſſimus, quum poſſit malis noſtris mederi ſi vellet, poſſétque non tolerare ſi vellet: imò niſi vellet, tollerare non poſſet. Stante ergo illa voluntate ſine qua nihil fit, & dato quod liberum arbitrium nihil poſſit boni velle, fruſtra dicitur, quicquid dicitur pro excuſando Deo, & accuſando libero arbitrio. Semper enim dicit liberum arbitrium, *Ego non poſſum, & Deus non vult, quid faciam? &c.*

De cauſa Electionis & Reprobationis. pag. 493. *b.*

Si eſt igitur vnius definitionis, eiuſdemque impotentiæ liberum arbitrium in omnibus hominibus, nulla poteſt ratio reddi cur vnum perueniat ad gratiam, & alterum non perueniat, ſi nihil prædicetur quàm lenitas tolerantis, & caſtigatio miſerentis Dei. Tunc nec Deus quemquam eliget, nec electioni vllus locus relinquitur: ſed ſola libertas arbitrij, lenitatem, & iram acceptans vel refutans. Spoliatus verò Deus virtute & ſapientia eligendi, quid erit niſi Idolum fortunæ, cuius numine omnia temerè fiunt? Et tandem eò venietur vt homines ſalui fiant & damnentur ignorante Deo, vt

qui

qui nec diſcreuerit certa electione ſaluandos & damnandos: ſed oblata omnibus tum generali lenitate tolerante & indurante, tum Miſericordia corripiente, & puniente: hominibus reliquerit vtri velint ſalui fieri, aut damnari. Ipſe interim fortè ad conuiuium Æthiopum profectus, vt ait Homerus. Talem Deum nobis & Ariſtoteles pingit, qui dormiat ſcilicet & ſinat ſua bonitate & corruptione vti & abuti quoſlibet. Nec ratio aliter poteſt de ipſo iudicare: ſicut enim ipſa ſpernit & contemnit res diuinas, ſic iudicat & de Deo quaſi ſpernat, & omiſſa eligendi, diſcernendi, inſpirandi ſapientia, voluntate, & præſentia, hominibus mandarit negotioſum iſtud & moleſtum opus, lenitatem & iram ſuam acceptandi & refutandi. Huc venitur dum ratione humana Deum metiri, & excuſare volumus: dum ſecreta Maieſtatis non reueremur: ſed penetramus ſcrutantes, vt oppreſſi gloria, pro vna excuſatione mille blaſphemias euomamus, &c.

Et pag. 494. a.

Ita fit vt dum ſoli voluntati Dei non permittimus indurandi, & miſerendi, & omnia faciendi voluntatem & potentiam: ipſi libero arbitrio omnia poſſe tribuamus ſine gratia: quod tamen negauimus.

Cauſæ falſæ interpretationis horum verborum. Ego indurabo, &c. Pag. eadem.

Cauſas videamus fingendi tropi hoc loco. Abſurdum videtur (ait Diatribe) vt Deus non ſolùm iuſtus, ſed & bonus induraſſe dicatur cor hominis, vt per illius malitiam, ſuam illuſtraret potentiam: & Origenes fatetur occaſionem indurationis datam à Deo, culpam tamen in Pharaonem reiicit.

Reſpondetur mox,

Abſurditas ergo vna eſt principalium cauſarum, ne verba Moſis & Pauli ſimpliciter accipiantur. Sed ea abſurditas in quem peccat fidei articulum? *Et mox*, Eodem argumento negabis omnes fidei articulos, quòd longè abſurdiſſimum ſit Deum eſſe hominem, virginis filium, crucifixum, ſedentem ad dexteram patris. Abſurdum talia credere. Fingamus ergo & hic tropos, cum Arrianis, & Manichæis: ne Chriſtus ſit ſimpliciter Deus, aut verus homo, ſic pulchrè ſcripturas tractabimus.

Sed nec proſunt tropi ad vitanda abſurda. Abſurdum enim manet ratione iudice, vt Deus iuſtus, & bonus exigat à lib. arb. impoſſibilia, & ei imputet quod non poſſit velle bonum: & nihilo clementius aut mitius agit, dum non confert ſpiritum, quàm ſi indu-

ret,aut indurari permittat. Hæc dictabit ratio non esse boni & iusti Dei,quia palpare & videre vult quomodo sit bonus, & nõ crudelis.Id verò comprehenderet si diceretur de Deo, Neminem indurat,neminem damnat, sed omnibus miseretur,omnes saluos facit: nimirum vt destructo inferno, positóque metu mortis, nulla pœna formidaretur futura. Ideo sic æstuat,& contendit, vt Deum excuset & defendat iustum & bonum. Sed & fides & spiritus aliter iudicant, qui Deum bonum credunt etiamsi omnes homines perderet.

Et pag 494. *b.*

Quid refert induretur,an indurari mereatur liberum arbitrium, quum induratio necessariò insit, donec inest impotentia illa, qua non potest velle bonum sine gratia.

Et mox. Quomodo Deus operetur mala in nobis.

Quæritur quomodo Deus mala dicatur in nobis operari, vt, *indurare,tradere desideriis,seducere*,&c. Oportuit sanè verbis Dei cõtentos esse, & simpliciter credere quod dicunt, quum sint opera Dei prorsus inenarrabilia: Tamen in obsequium rationis, id est stultitiæ humanæ,libet ineptire,& stulteścere,& balbutiendo tentare,si qua possimus eam mouere.

*Et pag.*495.*a.*

Primo etiam ratio concedit, Deum omnia in omnibus operari ac sine ipso nihil fieri,nec efficax esse. Est enim omnipotens,& pertinet id ad omnipotentiam eius,vt ait Paulus ad Ephes. Iam Satan & homo lapsi & deserti à Deo, non possunt velle bonum, hoc est, ea quæ Deo placent,& quæ Deus vult,sed in sua desideria conuersi,quærunt perpetuò quæ sua sunt.Hæc eorum voluntas & natura sic à Deo auersa non est nihil: sed manet voluntas & natura in vtroque. Et ea non minus subiecta sunt (vtpote creatura, & opus Dei) omnipotentiæ, & actioni diuinæ, quàm reliquæ creaturæ & opera Dei. Hic vides quum Deus in malis, & per malos operatur, mala quidem fieri, Deum tamen non malè facere, quia ipse bonus malefacere non potest, malis instrumentis vtendo quæ raptum & motum potentiæ suæ non possunt euadere. Vitium ergo est in instrumentis,quæ otiosa esse non sinit, fiúntque mala mouente Deo non aliter,quàm si faber securi ferrata,& dẽtata malè secaret, quia impius non potest nõ errare,& peccare, dum raptu diuinæ potentiæ motus,ociari non sinitur, sed velit, cupiat, faciat taliter qualis ipse est. Hæc rata & certa sunt si credimus, omnipotentem esse Deum: & Impium esse creaturam Dei: auersam verò relictámque sibi,

ſibi, ſine ſpiritu Dei non poſſe velle, aut facere bonum. Omnipotentia enim Dei facit, vt impius non poſſit motum & actionem Dei euadere, ſed neceſſariò illi ſubiectus pareat. Corruptio eius, ſeu auerſio eius à Deo, facit vt bene moueri aut rapi non poſſit. Deus ſuam omnipotentiam non poteſt omittere, propter illius auerſionem: Impius verò non poteſt ſuam auerſionem mutare. Ita fit vt neceſſariò peccet, & erret, donec ſpiritu Dei corrigatur, &c.

Et mox, *Vnde induratio.*

Indurationis negotium ſic habet: Impius, ſicut & Satan eius princeps, totus verſus ad ſe, & ad ſua, non requirit Deum: nec curat quæ Dei ſunt: ſed ſuas opes & glorias, ſua opera, ſuum regnum omnino quærit, illiſque vult in pace frui. Quod ſi quis illi reſiſtat, aut aliquid horum velit imminuere, eadē auerſione qua illa quærit, etiam mouetur, indignatur, & furit in aduerſarium. Et tam nō poteſt non furere, quàm non poteſt nō quærere, & cupere: & tam non poteſt non cupere, quàm non poteſt non eſſe creatura Dei, licet vitiata. Hic eſt ille furor mundi aduerſus Euangelium.

Et mox pag. eadem b.

Hæc ipſa irritatio impiorum, quum Deus illis contrarium dicit, & facit, eſt ipſorum induratio, & ingrauatio. Peiores enim fiunt dum ipſorum auerſioni reſiſtitur, aut detrahitur. Hic Pharaoni impio erepturus Deus tyrannidem, irritauit eum, & magis indurauit, & aggrauauit cor eius, dum illum per verbum Moſis inuaſit, & intus ſpiritum non dedit: ſed ipſius impiam corruptionem permiſit Satana regnante ſuccenſere, furere, & procedere cum ſecuritate, & contemptu.

Et mox.

Non igitur quiſpiam cogitet Deum, quum dicitur indurare, aut malum in nobis operari (eſt enim indurare malum facere) id eſt ſic facere, quaſi de nouo in nobis malum creet, &c. ſed ſic cogitet qui hæc vtcunque voleat intelligere, in nobis, id eſt, per nos, Deum operari mala, non culpa Dei, ſed vitio noſtro: qui, quum ſimus natura mali, Deus verò bonus, nos actione ſua pro natura omnipotentiæ ſuæ rapiens aliter facere non poſſit, quàm quod ipſe bonus malo inſtrumento malum faciat, licet hoc malo pro ſua ſapientia vtatur bene ad gloriam ſuam, & ſalutem noſtram. Sic Satanæ voluntatem malam inueniens, non autem creans, (ſed deferente Deo, & peccante Satana malam factam) arripit operando, & mouet quorſum vult: licet illa voluntas mala eſſe non deſinat, hoc ipſo Dei motu. Hoc modo dixit Dauid. 2. Sam. 16. Dominum iuſſiſſe vt

Semei ipſi malediceret. At externum non erat vllum tale præceptum, quo Deus tam virulentum & malum opus, quale eſt maledicere, præcipiat. Reſpicit ergo Dauid ad illud, quod Deus omnipotens dixit, & facta ſunt, hoc eſt, quod verbo æterno omnia facit.

Et mox.

Sic indurat Pharaonem quum impiæ & malæ eius voluntati offert verbum, & opus, quod illa odit, vitio ſcilicet ingenito, & naturali corruptione. Atque quum Deus Spiritu ſuo eam intus non mutet, pergat verò offerendo: & obtrudendo: vt contra Pharao vires, & potentiam ſuam conſiderans, & eis confidens, fit vt hinc inflatus & ſuperbus induretur, & eò magis ac magis irritetur, quo magis Moſes inſtat & minatur. Hæc autem voluntas eius mala, ſe ſola non moueretur aut duraretur, ſed omnipotens actor quum illam agat ineuitabili motu, vt reliquas creaturas, neceſſe eſt eam aliquid velle. Quum verò Deus ſimul foris offerat, quod naturaliter illam irritat & offendit, fit vt Pharao non poſſit euitare indurationem ſui, ſicut vitare non poteſt, & omnipotentiæ diuinæ actionem & auerſionem, ſeu malitiam ſuæ voluntatis. Quare induratio Pharaonis per Deum ſic impletur, &c.

Et mox.

Exploſis ergo tropis, & gloſſis hominis, verba Dei ſimpliciter accipimus, ne ſit neceſſe Deum excuſare, vel iniquitatis arguere. Quum enim dicit, *Ego indurabo cor Pharaonis*, ſimpliciter loquitur, ac ſi diceret, Ego faciam vt cor Pharaonis induretur, ſeu vt me operante, & faciente induretur. Intus enim generali motu ipſam mouebo voluntatem malam, vt ſuo impetu & curſu volendi pergat. foris verò offeram verbum, & opus in quod impinget impetus ille malus, quum aliud nō poſſit niſi malè velle: me, virtute omnipotentiæ, malum ipſum mouente, &c.

Et pag. 497. a.

Hinc illud eſt quod ferè poſt ſingulas plagas repetit Moſes. *Et induratum eſt cor Pharaonis, vt non dimitteret populum ſicut locutus fuerat Dominus:* quaſi dicat, vt verax appareret Dominus, qui illum indurandum prædixerat. Si hic erat vlla vertibilitas aut libertas in Pharaone, quæ in vtrunque potuiſſet, non potuiſſet Dominus tam certò prædicere eius indurationem. Nunc quum promittat is, qui nec falli, nec mentiri poteſt, neceſſariò futurum erat, vt induraretur. Quod nō fieret niſi eius induratio prorſus eſſet extra vires hominis, & in ſolius Dei poteſtate: modo quo diximus ſuprà, videlicet quòd Deus certus erat, ſeſe operationem omnipotentiæ generalem

ralem nõ omiſſurum in Pharaone, quum nec poſſet eam omittere.

Cur Deus non ceſſet à motu omnipotentiæ, aut cur voluntates impias non mutet, cúrue Adam ruere ſinerit, & nos impuros crearit? pag. 496. a.

Quærat quiſpiam, cur Deus non ceſſet ab ipſo motu omnipotentiæ quo voluntas impiorum mouetur, vt pergat mala eſſe, & peior fieri? Reſpondetur, hoc eſt optare, vt Deus propter impios deſinat eſſe Deus, dum eius virtutem & actionem optas ceſſare, ſcilicet vt deſinat eſse bonus, ne vlli fiant peiores.

At (inquient rurſus) cur non ſimul mutat voluntates malas quas mouet? *Reſponſio:* Hoc pertinet ad ſecreta Maieſtatis, vbi incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, nec noſtrum hoc eſt quærere: ſed adorare myſteria hæc. Quòd ſi caro & ſanguis hic offenſa murmuret, murmuret ſanè, ſed nihil efficiet, Deus ideò non mutabitur. Etſi ſcandalizati impij diſcedant, Electi tamen manebunt. Idem dicetur illis qui quærunt. Cur permiſerit Adam ruere? & cur nos omnes eodem peccato infectos condit? quum potuiſset illum ſeruare & nos aliunde vel primùm purgato ſemine, creare? nimirum quia Deus eſt, cuius voluntatis nulla eſt cauſa, nec eſt ratio, quæ illi ſeu menſura, & regula præſcribatur, quum nihil ſit illi æquale vel ſuperius: ſed ipſa eſt regula omnium. Si enim eſset illi aliqua regula aut menſura, aut cauſa aut ratio, iam nec Dei voluntas eſse poſſet. Non enim quia ſic debet aut debuit velle, ideò rectum eſt quòd vult: ſed contrà, quia ipſe ſic vult, ideò debet rectum eſse quod fit. Creaturæ voluntati cauſa & ratio præſcribitur, ſed non creatoris voluntati, niſi alium illi præfeceris creatorem.

Alia obiectio, eiúſque ſolutio. pag. 498. b.

Scilicet hoc offendit ſenſum illum communem, ſeu rationem naturalem, quòd Deus mera voluntate ſua homines deſerat, induret, damnet, quaſi delectetur peccatis & cruciatibus miſerorum tantis & æternis, qui prædicatur tantæ miſericordiæ & bonitatis, &c. Hoc iniquum, hoc crudele, hoc intolerabile viſum eſt de Deo ſentire, &c.

At ipſamet ratio naturalis, quæ neceſſitate illa offenditur, cogitur eam concedere proprio ſuo iudicio, etiam ſine vlla ſcriptura conuicta. Omnes enim homines habent etiam hanc ſententiam in cordibus ſuis ſcriptam, eámque & agnoſcunt & probant, licet inuiti. Primò Deum eſse omnipotentem, non ſolùm potentia, ſed etiam actione: alioqui ridiculus foret Deus. Deinde ipſum omnia noſse, & præſcire, neque errare, neque falli poſſe. His conceſſis co-

guntur ineuitabili conſequentia admittere, nos non fieri noſtra voluntate, ſed neceſſitate: item nos non facere quod libet, pro iure arbitrij liberi, ſed prout Deus præſciuit & agit conſilio, & virtute infallibili, & immutabili, &c.

De dicto Moſis Gen. 25. Maior ſeruiet minori.

pag. 500. *a.*

Hunc locum ſic eludit Diatribe, quod propriè non pertineat ad ſalutē hominis. Poteſt enim Deus velle, vt homo ſeruus ſit & pauper, nec tamen reiiciatur ab æterna ſalute.

Reſponſio, Eſto ſanè, nihil pertineat locus ille ad ſalutem hominis, ſed de temporali ſeruitute intelligatur (quod non eſt verum) tamen à Paulo rectè, & efficaciter adducitur, vt probet non per merita Iacob, aut Eſau: ſed per vocantem dictum eſſe ad Saram *Maior ſeruiet minori*. Paulus enim diſputat an illi virtute, aut meritis liberi arbitrij peruenerint ad id quod de iis dicit, probátque inuictis verbis Scripturæ quòd non: ſed ſola vocantis gratia, quòd nondum nati, nihil boni aut mali operati fuerint, &c.

Et mox pag. 501. *b.*

Quid liberum arbitrium iuuit Iacob? quid obfuit Eſau? quum iam præſcientiæ, & deſtinatione Dei vtérque nondum natus, nihílque operatus, definitus eſt qualia eſſet recepturus: ſcilicet vt ille ſeruiret, hic dominaretur. Præmia decernuntur antequam operarij naſcantur, & operentur.

Et mox.

Non hoc iam quęritur, An ſeruitus illa pertineat ad ſalutem, ſed quo merito illi imponatur, qui non meruerat?

Deinde quod non de ſeruitute ſola agat Moſes, & quod rectè Paulus de ſalute æterna hunc locum intelligat, conuincitur ex ipſo textu, ſic enim habet oraculum in Moſe, *Duo populi ex vtero tuo diuidentur populúſque populum ſuperabit*, &, *Maior ſeruiet minori*. Hic manifeſtè duo populi diſcernuntur, Alter in gratiam Dei recipitur, licet minor, vt vincat maiorem, non viribus, ſed fauente Deo: alioqui quomodo vincat minor maiorem, niſi ſit Deus cum eo? Quum igitur minor futurus ſit populus Dei, non ſolùm ibi dominatio externa tractatur, aut ſeruitus, ſed omnia quæ pertinent ad populum Dei, benedictio, verbum, Spiritus, promiſſio Chriſti, & regnum æternum: id quod etiam poſtea latius ſcriptura cōfirmat, vbi Iacob bene dici, & promiſſiones & regnum accipere ſcribit, quæ omnia Paulus breuiter indicat, dum dicit, Maiorem ſeruiturum eſſe minori, nos ad Moſen remittens, latius hæc tractantem.

De

De loco Malachiæ Iacob dilexi, Esau autem odio habui. *pag.* 500. *b.*

Triplici industria torquet hunc locum Diatribe. Prima est, Si literam vrgeas, inquit, Deus non amat vt nos amamus, nec odit quenquam, quum in Deum non cadant affectus.

Et pagina 501. *a.*

Responsio: Quid audio? An quæritur quomodo Deus amet & odiat, ac non potius cur amet & odiat? Pulchrè scimus, quòd Deus non amat aut odit quemadmodum nos, siquidem nos mutabiliter, & amamus & odimus: Ille æterna & immutabili natura amat & odit. Sic non cadunt in illum accidentia, & affectus. Atque hoc ipsum est quod liberum arbitrium cogit nihil esse, Quòd æternus & immutabilis sit amor, æternum odium erga homines antequam mundus fieret, non solùm antè meritum & opus liberi arbitrij, omniáque necessariò in nobis fieri, secundum quod ille vel amat, vel non amat ab æterno, vt non solùm amor Dei sed etiam modus amandi, necessitatem nobis inferat, &c.

Sed esto vt amor Dei sit effectus amoris, & odium sit effectus odij: nunquid illi effectus citra & præter Dei voluntatem fiunt? Si nō fiunt nisi volente Deo, iam quod vult Deus ideò vocarit Iacob antequam nasceretur, quia dilexerit eum, non autem dilectus sit prius à Iacob, aut merito eius vllo permotus, &c.

Altera industria est, quòd non videtur loqui de odio quo damnamur in æternum, sed de temporaria afflictione.

Responsio, Quid hoc ad rem? quum Paulus probet illam afflictionē sine merito, solóque Dei odio, illatam Esau? Quæ fuit enim causa amandi Iacob, & odio habendi Esau apud Deum, quum illi nondum essent? Iam illud falsum est Malachiam solùm loqui de temporaria afflictione, aut de destruenda Edomæa: sed Israëlitis exprobrat ingratitudinem, quod quum Deus illos dilexerit, illi tamen neque vicissim diligant, vt patrem: neque timeant vt Dominum. Dilexisse autē probat tum ex Scriptura, tum ex opere. Quum enim Iacob & Esau essent fratres, Gen. 25. tamen Iacob dilexit, & elegit, antequam nasceretur, Esau verò sic odit, vt regionem eius redegerit in solitudinem. Item Iacobum quidem reduxit è captiuitate, & restituit. at Edumæos non siuit restitui, sed minabatur eis destructionem, &c.

Et mox pag. 501. *b.*

Quomodo stabit nunc quod Propheta de temporaria afflictione loquatur? quum euidentibus verbis testetur, sese loqui de duo-

bus populis à duobus Patriarchis natis: Illum ſuſceptum in populum, & ſeruatum: hunc vero relictum & tandem deſtructum. Suſcipere in populum, non pertinet tantum ad temporalia bona vel mala: ſed ad omnia. Neque enim Deus noſter tãtùm temporalium Deus eſt, ſed omnium, &c.

Tertia induſtria eſt, Quòd dicatur Deus odiſſe nondum natos, quia præſcit illos geſturos odio digna. Iudęos itaque meritò incredulitatis exciſos, gentes verò meritò fidei inſertas. &c.

Reſponſio: Non diſputamus de exciſione aut inſertione: ſed an qui poſſint vel credere vel diſcredere vi liberi arbitrij: nec qui ſint credentes, qui non: nec quid ſequatur credentes & diſcredentes: ſed quo merito, quo opere perueniant ad fidem, qua inſeruntur, aut ad infidelitatem qua excinduntur, Paulus hîc docet quod nullo noſtro opere, ſed ſolo amore, & odio Dei hoc contingat. Vbi verò contigerit exhortatur vt perſeuerent, ne excindantur. At exhortatio non probat quid nos poſſimus, ſed quid debeamus.

De loco Pauli 2. Tim. 2. In domo magna eſſe vaſa aurea & lutea &c. pag. 502.

Tum ſequitur ſimilitudo, ſcilicet eſſe vaſa diuerſa, alia in contumeliam. His abſoluitur doctrina quòd vaſa non ſeipſa parent, ſed herus. Hoc vult & Rom. 9. quòd figulus poteſtatem habet &c. & quod ſequitur, *ſi quis ſe emundauerit ab iſtis*, non de ſordibus intelligi, ſed de vaſis contumeliæ, vt ſit ſenſus, ſiquis ſeparatus manſerit, ac non inter impios magiſtros miſceatur, erit vas honoris &c.

Pag. 102. a.

Non enim ſequitur quenquam ideo ſeſe vi liberi arbitrij poſſe mundare. Summa, ſi iſta eluſio valet, tota diſputatio Pauli nihil valet. Fruſtra enim induceret murmurantes aduerſus figulum Deum, ſi culpa vaſis, & non figuli eſſe videretur. Quis enim murmuret, ſi audiat damnari dignum damnatione? Hinc verò murmurationis humanæ, videlicet, quòd non vaſi, ſed figulo ſit imputandum, qui creet, & temperet lutum, ſi vas coniicitur in ignem æternum quod nihil commeruit, niſi quòd ſui iuris non eſt. Id verò eſt quod Paulus dicere facit impios, Quid adhuc quæritur? voluntati eius quis reſiſtit? Hoc eſt illud quod humana ratio neque capere, neque ferre poteſt. Vult enim Deum agere iure humano, vt faciat quod ipſis rectum videtur, aut rationem reddat cur ſit Deus: & ita redigendus erit Deus in ordinem, & præſcribendæ illi leges vt non damnet quenquam, niſi qui noſtro iudicio id meruerit, & figulus faciat vas in contumeliam ex meritis præcedentibus, &c.

Verùm

Verùm ſi ſic operatur Deus vt merita ſpectet, cur illi murmurant & expoſtulant? Quid opus Paulo, illos compeſcere? Deinde vbi manet poteſtas figuli faciẽdi quod vult, ſi meritis & legibus ſubiectus, non ſinitur facere quod vult, ſed exigitur facere quod debet? Pugnat enim reſpectus meritorum, cum poteſtate ac libertate faciendi quod vult, vt ille probat Paterfamilias, qui operariis murmurantibus, & ius poſtulantibus, oppoſuit libertatem voluntatis in bonis ſuis Matth. 20.

Sed fingamus Deum talem eſſe oportere, qui merita reſpiciat in damnandis. Nonne pariter contendemus & concedemus, vt & in ſaluandis merita ſpectet? Si rationem ſequi volumus ęquè iniquum eſt indignos coronari, atque indignos puniri. Deum igitur iniquũ declarabimus, vt qui malis & impiis delectetur, & impietatem eorum præmiis inuitet & coronet. At væ nobis tunc miſeris apud illum Deum. Quis enim ſaluus erit?

Vide nequitiam cordis humani, Deum, quum indignos ſine meritis ſaluat, imò quum multis de meritis ſaluat impios, non accuſat iniquitatis, non expoſtulat cur hoc velit, quum ſit iniquiſſimum etiam ſeſe iudice: ſed quia ſibi commodum & plauſibile eſt, æquum & bonum iudicat. At quum immeritos damnat, quia hoc incommodum ſibi eſt, hoc iniquum, hoc intolerabile eſt, hîc expoſtulatur, hîc murmuratur, hîc blaſphematur.

Ratio ergo in hac cauſa non iudicat ſecundùm æquitatem, ſed ſecundùm affectum. Si enim æquitatem ſpectaret, æque expoſtularet cum Deo dum indignos coronat, atque dum immeritos damnat. Æquè etiam Deum laudaret, & præuicaret dum damnat immeritos, atque facit dum indignos ſaluat. Vtrobique enim par iniquitas, ſi ſenſum noſtrum ſpectes: niſi non fuerit æquè iniquum, ſi Cain ob homicidium laudes, regémque facias: atque ſi Habel innocentem in carcerem coniicias, atque occidas.

Quum igitur ratio laudet Deum indignos ſaluantem, arguat verò immeritos damnantẽ, conuincitur non laudare Deum, vt Deũ, ſed vt ſuo commodo ſeruientem: hoc eſt ſeipſam, & quæ ſua ſunt, in Deo quærit & laudat, non Deum, & quæ Dei ſunt. At ſi placet Deus indignos coronans, non debet diſciplicere immeritos damnans. Si illic iuſtus eſt, cur non hic iuſtus erit? Illic gratiam & miſericordiam ſpargit in indignos, hîc iram, & ſeueritatem ſpargit in immeritos: vtrobique nimius, & iniquus apud homines ſed iuſtus & verax apud ſeipſum. Nam quomodo hoc iuſtum ſit vt indignos coronet, incomprehenſibile eſt modò: videbimus autem quum il-

luc venerimus, vbi iam non credetur, ſed reuelata facie videbitur. Itaque quomodo hoc iuſtum ſit vt immeritos damnet, incomprehenſibile eſt modò, creditur tamen donec reuelabitur filius hominis.

Et pag. 524. b.

Concluſio totius diſputationis, de damnatione Impiorum, & Dei iuſtitia.

Si autem id mouet, quod difficile ſit clementiam, & æquitatem Dei tueri, vt qui damnet immeritos, hoc eſt impios eiuſmodi, qui in impietate nati, non poſſunt vlla ratione ſibi conſulere, quin impij ſint, maneant, ac damnentur: cogantúrque neceſſitate naturæ peccare, & perire (ſicut Paulus dicit, *Eramus omnes filij iræ, quemadmodum & cæteri*) quum tales creentur ab ipſomet Deo, ex ſemine vitiato, per vnius Adæ peccatum. *Reſp.* Hic honorãdus, & reuerendus eſt Deus clementiſſimus, in iis quos iuſtificat & ſaluat indigniſſimos, donandúmque eſt nonnihil Diuinæ eius ſapientiæ, vt iuſtus eſſe credatur, vbi iniquus nobis eſſe videtur. Si enim talis eſſet eius Iuſtitia, quæ humano captu non poſſet iudicari eſſe iuſta, planè non eſſet diuina, & nihilo differret ab humana iuſtitia. At quum ſit Deus verus & vnus, deinde totus incomprehenſibilis, & inacceſſibilis humana ratione, par eſt, imò neceſſarium eſt, vt & iuſtitia ſua ſit incomprehenſibilis, ſicut Paulus etiam exclamat, dicẽs, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt Iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Rom. 11. Incomprehenſibilia verò non eſſent, ſi per omnia capere valeremus, quare ſint Iuſta. Quid eſt homo comparatus Deo? &c.

& pag. 25. a

Si fatemur, natura etiam Magiſtra, humanam potẽtiam, ſapientiam, ſcientiam, & omnia noſtra nihil eſſe, ſi ad diuinitatem conferantur, quæ eſt noſtra peruerſitas, vt ſolam iuſtitiam, & iudicium Dei vexemus? & iudicio noſtro tantùm arrogemus, vt diuinum iudicium comprehendere, iudicare, & æſtimare velimus? Quare non ſimiliter & hîc dicimus, Iudicium noſtrum nihil eſt ſi diuino iudicio comparetur? Conſule rationem ipſam, ſi non conuicta cogetur ſeſe ſtultam, & temerariam confiteri, quod Iudicium Dei non ſinit eſſe incomprehenſibile, quum cætera diuina omnia fateatur incomprehenſibilia. Scilicet, in omnibus aliis Deo concedimus maieſtatem diuinam, in ſolo iudicio parati ſumus id negare, nec tantiſper poſſumus credere eum eſſe iuſtum, quum nobis promiſerit, fore, vbi gloriam ſuam reuelarit, vt omnes tum videamus, & palpemus,

pemus,eum fuiſſe,& eſſe Iuſtum.

Dabo exemplum ad confirmandam hanc fidem, & cõſolandum illum oculum nequam, qui Deum ſuſpectum habet de iniquitate. Ecce ſic Deus adminiſtrat mundum iſtum corporalem, in rebus externis,vt ſi rationis humanæ iudicium ſpectes,& ſequaris,cogaris dicere aut nullum eſſe Deum, aut iniquum eſſe (vt ille ait,Sollicitor nullos ſæpe putare Deos) quod proſperrimè habeant mali, contrà infœliciſſimè boni, teſtantibus prouerbiis & experientia. Iob.19.Pſalm.73. Nonne omnium iudicio iniquiſſimum eſt malos fortunari,& bonos affligi? At ita fert curſus mundi. Etſi verò hîc non ſolùm ſumma ingenia eò lapſa ſint, vt Deũ eſſe negent & fortunam omnia temerè verſare fingant,ſed & Prophetæ Ier.Iob.Dauid,& alij pij,qui Deum eſſe crediderunt, magis de iniquitate Dei tentati fuerint: tamen hæc tentatio,& iniquitas Dei tollitur facillimè per lucem Euangelij, & cognitionem gratiæ, qua docemur, Impios quidem corporaliter florere, ſed anima perdi: eſſéque vitam poſt hanc vitam, in qua quicquid hic non eſt punitum, & remuneratum,illic punietur,& remunerabitur,&c.

Sic igitur lux Euangelij, quæ ſolo Verbo & fide valet, tantum efficit,vt iſta quæſtio omnibus ſeculis tractata,& nunquam ſoluta, tam facilè dirimatur. Quid putas futurum vbi ceſſante lumine Verbi,& fidei, Maieſtas diuina per ſeſe reuelabitur? Annõ putas quod tum lumen gloriæ hanc quæſtionem facillimè ſoluere poſſit, quæ in lumine verbi,aut gratiæ eſt inſolubilis: quum lumen gratiæ tam facilè ſoluerit quæſtionem in lumine naturæ inſolubilem? Tria mihi lumina pone,Lumen naturæ,lumẽ gratiæ, & lumen gloriæ,&c.

Pag.525.b.

In lumine naturæ eſt inſolubile, hoc eſſe iuſtum,quòd bonus affligatur, & malus benè habeat. At hoc diſſoluit lumen gratiæ. In lumine gratię eſt inſolubile,quomodo Deus damnet eum,qui non poteſt vllis ſuis viribus aliud,facere quàm peccare,& reus eſſe. Hîc tam lumen naturæ, quàm lumen gratiæ dictant, culpam eſſe non miſeri hominis,ſed iniqui Dei: qui hominem impium gratis, ſine meritis coronat,& alium non coronat, ſed damnat, fortè minùs, vel ſaltem non magis, impium. At lumen gloriæ aliud dictat, & Deum,cuius iudicium modò eſt incomprehenſibilis iuſtitiæ, tunc oſtendit eſſe iuſtiſſimæ,& manifeſtiſſimæ iuſtitiæ tantùm: vt interim credamus,moniti & confirmati exemplo luminis gratię, quod ſimile miraculum in naturali lumine implet.

Et mox.

Hîc arbitror pio, & qui veritati ſine pertinacia cedere volet, abundè ſatis eſſe factum. Si credimus verum eſſe, quod Deus præſcit, & præordinat omnia, tum neque falli, neque impediri poteſt ipſius præſcientia, & prædeſtinatione. Deinde nihil fieri, niſi ipſo volente (id quod ratio ipſa cogitur concedere) ſimul vel ipſa ratione teſte, Nullum poteſt eſſe liberum arbitrium in homine vel Angelo, aut vlla creatura.

Hæc hactenus, ex Lutheri libello, De ſerao Arbitrio, aduerſus Eraſmum, excerpta ſunt.

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Pagina 28. linea 24 fuiſſet, p. 38. l. 23. quoniam p. 46. l. 9. præſentia l 35 inficiari? p. 51. lin 10 ſed humanitatem fuiſſe duntaxat. p. 62 l. 30. poſita? p. 68 l 1. ſtatuere. p. 69 l. 6. negarit? p 73. l 25. in rerum corporalium p. 75 l 27 ſubſiſtentia. p 87. l. 31. res ipſas p. 89. l. 3 ſiue non ſubiectiuè attributum. p 91. l. 26. complexim. p. 92. l. 25. Quam vocamus. l. 35. theſim 9. p. 93. l. 8. vnionem: eadem tam. p 94. l. 36 Hunc. p. 96. l 14. increatum. p. 97. l 29. 40. l 32 & 33. dele ( ) p 98. l 28. dele vt, p. 107. l. 28. non pro neque. p. 111. l. 30. ab iſtis. p. 112. l. 38. quo modo multa de. p. 113. l. 21. immenſa & dimenſa. p. 114. l. 19. propria vt nullum ad l. 38. Humanitatẽ reipſa ſunt. p. 115. l. 10. in poſteriore. l. 16. in priore. p. 120 l. 27. eſt ὁ λόγος p 129 & l 20. ſed humana illa natura cum hypoſtaſi, p. 136. l. 2. 8. Rurſum & l 16. eſt? p. 140. l 10 nire duas naturas vt p. 146. l 7 ſimul, p. 152. l 31. eius formæ, p. 153 l. 21. quæ tamen, l. 22 non inerat, p. 160. l 38. eſt Deitatis, p. 164. l 36. poſſe, p. 170 l. 40 humana recipiunt, p. 171 l. 9. ſed quatenus Deus eſt l. 12. non ſit, l 28. ſunt hominis. p. 173. l 13. attribuuntur: p. 177. l. 12. Filij perſona, l. 18. dele eſt, l 24. & ſe nec, l 26. vis adhuc, vt p 180. l. 13. Seſſione, l. 22. carne) p. 185 l. 25 diſtinctum, l. 30. partibus p. 186. l 11. & vt per l. 14 facta Homo Deus, l. 34. Dei, in quo l 35 Hic autem, p 191 l 12. quidem credimus, p. 194. l 4. donec eum p 195. l. 7. ſaluæ, p. 196. l. 25. eſſe verum, p. 197. l. 40. mihi ſum, p. 198. l. 19 participes.

Numeros paginarum in iis quæ ex D. Luthero excerptæ ſunt non eſt cur lector moretur, deſcriptoris culpa deprauatos, optima tamen fide excerptos.